…: Orator crucifixus etc.
Cracoviae ex off. Schedeliana. 1670.

ORATOR CRVCIFIXVS

SIVE VLTIMA

SEPTEM VERBA

Domini Nostri IESV Christi,

Totidem pijs discursibus exposita

Per *R. P.* IOANNEM PAPCZYN-SKI, *Presbyterum Polonum.*

FIDES: SPES:

CRACOVIÆ,

Ex Officina SCHEDELIANA, S. R. M. *Nec non* Illustrissimi ac Reuerendissimi EPISCOPI Cracouiensis Ducis Seueriæ Typograph:

Anno Domini, 1670.

In Stemma Gentilitium
ILLVSTRISSIMI CELSISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI,
D. ANDREÆ TRZEBICKI,
Epiſcopi Cracouien: Ducis Seueriæ.



Candorem Niueus Color hic deſignat OLORIS;
Vox ſuauis ſuauem Moribus eſſe docet.
Jllæſus candor, vita eſt illæſa, fatemur:
Atq; iuuat toties dicere: VIVAT OLOR.

ILLV.

JLLVSTRISSIME, CELSISSIME AC REVERENDISSIME PRINCEPS.

NIveus ille Cœleſtis OLOR expanſus in ligno fatali, & ante fata ſua ſuaviſſimè præcinens, nativum colorem in purpureum ex ſãgvinis profuſione mutatus, non niſi Purpurato PRINCIPI conſecrandus erat. Inter plurimos TVA CELSITVDO ſubi-

ſubivit animum, quin prima ſe humillimi Clientis obtutibus obiecit; quos & gentilitius TVÆ CELSITVDINIS OLOR allicit, & Senatoria Præſuleaq; Purpura trahit, & favores Typographiæ noſtræ collati hanc exiguam ex ea prodeuntem Opellam ſibi merito iure deberi perſuadent. Præterea Author ipſe horum Piorum Sermonum, piĕtisſimo TVÆ CELSITVDINIS patrocinio gloriatus, huc me cum labore ſuo direxit; vt vnus hic Libellus duorum gratitudinem Clientum teſtaretur. Suſcipe igitur animo, quo

polles

polles, Heroico, Celſiſſime ac Reverendisſime PRINCEPS, Cygnea hæc exſpirantis in CRVCE vitæ noſtrũ omnium ac ſalutis AVTHORIS Modulamina, & me ſub vmbra Alarum gentilitij TVI CYGNI perpetuò velis conſervare.

Illuſtriſſimæ ac Reuerendiſſimæ

CELSITVDINIS VESTRÆ,

Humillimus Cliens,

NICOLAVS ALEXANDER SCHEDEL.

SAL.

SALVE LECTOR HVMANISSIME.

PIo, non temerario tamen, impulsus ausu VLTIMA Æternæ Sapientiæ, in humana carne vitam cum sermone finientis, VERBA, provt spiritus movebat, exposui. Sententiam nullam de meo conatu fero; Tuo candori id relinquo. Adhibui literas sacras, & earum interpretes: prophanam historiam parcissimè, & ferè iisdem verbis, quibus excerpta fuit, vt Authoribus eloquentiæ gloria maneret. Vtinam vel vnius mortalis animo labor hic meus prosit, quàm grandem eius fructum percepero! Et quoniam alicuius Viri potui meminisse gestorũ, nondùm à S. Matre Ecclesia probatorum; idcircò, quod mãdavit Sanctissimus Pontifex VRBANVS VIII. facio: nẽpè, iuxtà mentem eius, iterùm atq; iterùm protestor. Cæterùm, Errores, qui huic editioni irrepserunt, benevolentiæ corrigendos relinquo tuæ. Præsertim:

pag. 3. pro videns, *lege*, videbat.
pag. 33. *pro* exaudita, *lege*, obsecrata.
pag. 40. *post* contrito corde, *adde*, oratio.
pag. 65. *pro* interpretation. *lege*, interpellation.

& semper felix Vive, ac Vale.

FACVLTAS CENSORIS,

Imprimatur.

HIACINTHVS LIBERIVS,
S. T. D. Præpositus SS. Corporis Christi Canonicorum Regularium, Diœcesis Cracoviensis Librorum CENSOR.



ORATORIS CRVCIFIXI

VERBVM I.

Pater dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt. *Lucæ 23.*

Remittendo remissionem obtineri.

VESPASIANVS ille Augustus, qui propria Virtute Romanos fasces adeptᵒ erat, tàm diligens & assiduus fuit in exequendis Imperatorijs muneribus; vt & dictitaret, *Imperatorem stantẽ mori oportere*, & ferè non aliter quàm stando animam exhalaverit. Qvod ille de Imperatoris officio, hoc ego de Oratoris possum pronunciare: huic nimirùm cũ supremo halitu verba, cum vita orationem finiendam. Ita VERBVM Æternum, cœlestis ille Orator, IESVS, dicendo ac docendo Crucis in rostris Æterno PATRI spiritũ sanctissimũ suũ tradidit, simulq; peroravit ac exspiravit. Hoc expendens pien-

tisſimè divinus Bellarminus purpuratus ſcriptor ſic de
mùm hanc crucifixi VERBI dictionem ac doctrinam
cōmendavit. Chriſtꝰ IESVS, VERBVM Æterni PA-
TRIS, & de quo idem PATER apertè dixit, *Ipſum au-
dite*; & qui de ſe apertè pronūtiavit, *Magiſter veſter v-
nus eſt Chriſtus*; vt officio ſuo plenisſimè ſatisfaceret,
non ſolùm viuens à docendo nunquam ceſſavit: ſed e-
tiam moriens ex cathedra Crucis verba pauca, ſed ar-
dentia, ſed vtilisſima, ſed efficacisſima prædicavit, &
planè dignisſima, quæ à Chriſtianis omnibꝰ in intimo
cordis recipiantur, & cuſtodiantur, & examinentur, &
re ipsâ, ac factis adimpleātur. Quam ad rem vt aliquo
adiumento devotis Chriſto pectoribus eſſe queam, cō
ſtitui apud me, pio magis quàm calamiſtrato genere
dicendi, hanc Præceptoris noſtri doctrinam è Crucis
exedra dictatam paulò copioſiꝰ explicare, animorūq;
noſtrorum ſaluti accommodare eo modo, qui & com-
punctionē afferat, & vitæ pariat emendationem. Or-
dior itaq; à primo Verbo, quod Lucas Euangeliſta ex
cepit, atq; in ſuo Divinorū geſtorum ac ſermonum co-
dice cap. 23. repoſuit, hoc ipſum: *PATER, dimitte illis:*
non enim ſciunt, quid faciunt. Ex quo diſcendum: diligen
dos nobis eſſe inimicos, remittendaſq; iniurias, vt hac
ratione certisſimam delictorum noſtrorū veniā ac re-
miſſionem conſequamur. Quod iam promoveo.

NA

NAbuchodonoſor Aſſyriorum Monarcha ſuper
bisſimus, cœteriſquè vitijs ac ſceleribus nō o-
mninò vacuus, videns aliquando (quod Dani-
el Vates cap. 4. memorat) in ſomnis Arborem vnam,
grandem profectò & excelſam, cuius altitudo tangens
cœlum, latitudo ad terminos vniverſæ terræ protēſa,
folia pulcherrima, fructus nimius. Quid quòd ſuper e-
adem habitabant vniverſa animalia, & beſtiæ, & in ra-
mis eius converſabantur volucres cœli, & ex ea veſce
batur omnis caro? Cùm igitur plurimùm oblectatio-
nis ex talis tantæquè Arboris repræſentata ſibi ſpecie
caperet dormituriens Rex, ecce tibi cœlo nuntius ad-
volat, vocequè horrendâ intonans: *Succidite*, inquit, *ar*
borem, & diſſipate illam; attamen germē radicum eius in ter
ram demittite, & vinciatur ferro & ære in herbis foris, &
rore cœli conſpergatur, & cum feris ſit pabulum eius, donec
ſeptem tempora mutentur ſuper eum. Exterritus tàm ino-
pinato ac infelici delicatiſſimæ & ſpecioſiſſimæ Arbo
ris interitu Nabuchodonoſor, illicò ſomno ſe proripit
& lecto, Danielemq; iubet acciri, quem non ignorabat
oniromantam peritiſſimū. Adeſt Vates, & quod iam
erat ſibi revelatum divinitùs indicans: per Arborem
oſtendit Regem ipſum denotari, futurumquè fore, vt
is mutatus in feram ab hominum cōſortio extrudatur,
fœnum bovis inſtar comedat, ſub dio belluas inter in-
tegro ſeptennio verſetur, donec reſipiſcens agnoſcat,
quòd dominetur excelſus ſuper regnum hominum. Quoniā

 vc

verò Nabuchodonosorẽ tenerrimè diligebat, vt eum ab hac gravissima & ignominiosissima pœna liberum redderet, suasit: eleemosynis Divinum furorẽ placaret, & sin minùs judicium æquissimum corrumperet, saltẽ latam iam sententiam mitigaret. *Peccata tua*, dicebat, *eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum.* Arbor hæc, quæ elatissimum Persiæ Monarchã quemlibet etiam peccatorem figurabat. Itaquè horũ quilibet sibi quoquè consultũ à Daniele dictumq; putet: *Peccata tua eleẽosynis redime, &c.* Sed nõ quivis hoc munificentiæ spiritu abundat, quamvis æquè peccatis ac opibus abundet. Alius verò tametsi cupiat eleemosynarũ largitione suis pro delictis satisfacere, vndè id præstet, non habet; cùm ipse egeat, cùm ipsi res angusta domi propè necessitatem faciat mendicandi. Huic ergò Augustinus occurrens ita ad rem nostram profatur. *Si aliquis ita pauper sit, vt nullam rem habeat, vt eleemosynam temporalem faciat; quia non potest fieri, vt ab aliquo non patiatur iniuriam, si ex toto corde omnibus in se peccantibus indulgeat, & contra nullum hominem odium teneat, atq; omnes sicut seipsũ diligat: hoc ei procul dubio pro maxima eleemosyna reputabitur.* Hac eleemosynâ peccata sua redimet, hac misericordiâ misericordiam consequetur. Desunt, ô peccator! tibi nummi, quibus debita contracta apud DEVM exsolvas? at forsan inimici nõ desunt, calumniatores non desunt, obtrectatores non desunt, persecutores nõ desunt, adversarij non desũt,

æmuli non desunt, oppressores nõ desunt: his ignosce, tibi DEVS ignoscet: mansvetudine tuâ eum ad clementiam provocabis: non se, crede mihi, eâ sinet à te superari. Qvod si liberalis tibi videris in egenos, at immitis in adversarios, non lenies irã DEI liberalitate, qui certius benignitate placatur. Frustra Thobiam, si non & Davidem imitaberis.

DAvid mansvetissimus Regum defectuum suorũ contemplatus multitudinem, extimescebat vehementissimè furorem Domini; hîc animo toto perturbatus clamabat: *ps. 77. Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, DEVS, non est pax oculis meis à facie peccatorum meorum. Quoniã iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Sed tandem revocatis in memoriã iniurijs, quibus cumulatissimè à capitalissimo hoste suo Saule obrutus fuerat, & nihilóminus eas occasione commodissimâ non fuerat vltus, alacriter spem veniæ à DEO consequendæ resumit, iáquè Divinæ iustitiæ executores cacodæmones, & eosdem animorũ nostrorum hostes acerrimos, nihil metuẽs ita demùm colloquitur DEO: *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis.* O quot mortales hoc corruptissimo sæculo reperire possumus, quorum peccata numerum superant capillorum! quorum iniquitates caput supergressæ sunt! Quid igitur talium vnus aliquis facturꝰ, vt scelerum suorum pondere solvatur? Non dubito, quin

ad D. Petrum sit recursurus, quoniam huic vni Pontificium ligandi atquè solvêdi peccatores traditum est. *Quodcunq; ligaveris super terram,* (dicebat Petro Christus *Matt. 16.19.*) *erit ligatũ & in cœlis; & quodcunq; solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Benè est, bone peccator. Ad Petrum vnà tecum ego vadã. Sed audin', quid nobis Petrus eâ causâ faciendum inculcat? *Ante omnia* (inquit) *mutuã in vobis metipsis cõtinuam charitatem habentes: quoniam charitas operit multitudinem peccatorum. 1. Pet. 47.* Rem optimã svadet Petr', nec adeò difficilem. Amare mutuò sine gravi molestia ac labore possumus. Nè tamen (quoniam & hoc fieri facilè potest) in hoc amore erremus, rectam eius methodũ præscribens Gregorius hom. 38. *Nemo* (ait) *cùm quēq; diligit, habere se protinus charitatem putet, nisi priùs ipsam vim suæ dilectionis examinet. Nàm si quis quemlibet amat, sed propter DEVM non amat, charitatem non habet. Charitas enim vera est, cúm & in DEO diligitur amicus, & propter DEVM diligitur inimicus. Ille ergò securus amat, qui propter DEVM amat, à quo se intelligit non amari.* Ex sententia ergò Petri, *charitas operit multitudinẽ peccatorũ:* sed illa tantùm ex declaratione Gregorij charitas, *quæ propter DEVM diligitur inimic'.* Diligite, ô peccatores! inimicos vestros: benè facite his, qui oderunt vos: dimittite, & dimittemini.

Regum aliquis, quod Servator noster apud Matthæum retulit, servos aliquando suos ad calculos

los vocaverat. Hos inter *oblat' est ei vn', qui debebat ei decem millia talenta.* Ingens pro servo debitum & solutu difficile. Cùm itaq; sit axioma jurisperitorum probatissimum; qui non potest ære, luat corpore: *iussit* hunc talem debitorem princeps ille *venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia, quæ habebat;* & pecuniam indè coactam fisco suo inferri. Miser serv', nisi regium animũ naturâ suâ ad clementiam pronissimum humillimâ deprecatione flexisset. Advolutus enim pedibus domini, orabat egregiâ submissionis formulâ: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Sic evasit. *Misertus enĩ Dominus ipsius dimisit eum, & debitum dimisit ei.* Magna gratia, si gratum pecc' reperisset: insignis clementia, si nõ crudeli & impijssimo homini fuisset exhibita. Nam hic nefarius prædo vix é conspectu regis egressus, cùm *vnum de conservis suis* reperisset, *qui debebat ei centum denarios, protinùs apprehensum suffocabat,* identidem ingeminans: *Redde, quod debes:* restitue centum denarios, restitue. Personuit regiâ totâ hæc tanta crudelitas. Itaq; revocatus nequam exactor in carcerem conijcitur, tã diù torquendus, *donec* ipse suum *redderet debitum,* & plenissimè exsolveret. Quem tangit hæc parabola? Christianos peccatores: qui cùm gravissima debita apud cœlestem Regem contraxêre, levissima suis proximis relaxare nolunt. Vnde sequitur horrenda illa Christi comminatio: *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis,* quẽadmodùm rex ille fecit servo nequam; *si non remiseritis*

vnusquisq; fratri suo de cordibus vestris. Isidorus Clarius sacrarum literarum disertissimus interpres huic parabolæ Domini nostri lucem afferens: *Hæc ipsa lex*, inquit, *est cœlestis Patris; qui etiam cupiens habere occasionem ignoscendi, permittit offensiones inter homines accidere, vt omnes debitores aliquos habeamus, quibus remittendū sit; vt possit ipse maxima nobis remittere debita, quæ illi debemus.* Mirari possit aliquis, cur inter Christianos, quos ita mutui vinculum amoris debeat connectere, vt omnes vnum cor animamq; vnam habeant: quemadmodùm in actis Apost. de primitiva Ecclesia scriptum est, *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna*: cur, inquam, nostrâ tempestate tot inter Christianos differētiæ, nè dicam inimicitiæ, reperiantur; vt vix aliquē mōstrare possis, qui non aliquem adversarium habeat, aut insectatorem? Permissione Divinâ id asserit fieri Clarius: (orat. 53. in *Matt*) vt dimittendo proximis, à DEO quoq; veniam obtineamus: *qui etiam cupiens habere occasionem ignoscendi permittit offensiones inter homines accidere, vt omnes debitores aliquos habeamus, quibus remittendum sit; vt possit ipse maxima nobis remittere debita, quæ illi debemus.* Nos verò tàm impudenter deliramus, vt malimus in tartarum præcipitari, quàm verbulum aliquod scommaticum, quàm exiguum contemptum, quàm leuem iniuriolam nobis illatā æquo animo ferre, condonare, in vulnera Servatoris demergere: cùm tamen quotidie clamem⁹ ad PATREM cœlestem, *dimitte*

te nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Aut ergò dimittendum est; aut, si nō dimittim⁹, mentiendum coram DEO. Sed quo fructu? vt auctionē debitorum faciamus? absurdū est, & maximæ insaniæ. Danda venia potiùs etiam non petentibus, vt eâ petentes impertiamur à DEO. ignoscendum est, vt nobis igōscatur.

Audi, mî Christiane, Præceptorem tuum & Ducē è Crucis cathedra verba facientem. Quid dicit? *Pater, dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.* Expende voces singulas, quot plenæ mysteriorum! Patrem compellat, Patrem exorat; qui se tàm egregiè Filium eius probavit, vt omninó mereretur exaudiri. Dimitti petit, non dissimulari, delicta inimicorum: dimitti rogat pœnam simul & culpam; & quidem culpā tàm enormem, quâ non gravior altera toto orbe vnquam audita est; scelus horrendum, ingens, invisum, immensum, inexpiandum! Pro quibus autem deprecatur? pro illis; à quib⁹ proditus, captus, vinctus, raptatus, illusus, percussus fuit: pro illis; qui ei sacrilegas manus iniecerunt, qui in eum testimonia falsissima congesserūt, qui indignum quovis cruciatu iudicarūt, qui spinis caput ei⁹ cruentarūnt, faciem sole sereniorem sputis fœdarūnt, pugnis & alapis cōfregerunt, collum catenis onerarūt, totum corpus illius à planta pedis vsquè ad verticem capitis plagis ac vulneribus conciderunt: pro illis; qui eum accusarūnt innocentem, ad suppliciū postularūnt

nullo scelere pollutum, Barabbæ latroni & homicidæ postposuerunt, ferali sententiâ damnarûnt: pro illis; qui oneratum patibulo ad infamē reorum aream traxerunt, vestibus dirè spoliarunt, clavis ad crucem immaniter affixerunt, medium latronum statuerunt, sitientem felle acetoq; potarûnt, orantem blasphemaverunt, patientem illuserunt, pro se deniquè æterno PATRI supplicantem despexerunt. Hjs tamē ille tàm atrocibus, tàm nefarijs, tàm conscelerátis inimicis, non solùm ipse ignoscit, sed & PATREM suum reconciliat: id verò tantâ bonitate, tàm inauditâ mansvetudine; vt, quò faciliùs veniam illis obtineat, cùm scelus ipsum vt potè apertissimum non possit excusare, intentionem excuset, ignorantiam prætendat, amētes, qui vt deliberatè ita malitiosè nihil agunt, ostendat: *Non enim* (ait) *sciunt, quid faciunt.* O abyssum clementiæ ac pietatis! Vide, quàm præclarum tibi exemplum diligendorū inimicorum præbeat, ô peccator! atq; id maximo tuo bono. Qvamprimùm enim bilem, quam foves adversus illum æmulum, aut illum inimicum, è tuo pectore ejeceris; illicò te pientissimum Numen oculo benignissimo respiciens, & veniâ scelerum omniū donabit, & copiâ suarum cumulabit gratiarum. Hoc sentiens Doctorum Doctor Avgustinus ita nobis loquitur vniversis. *Vos ad inimicorum dilectionem admoneo, quoniam ad sanādum peccatorum vulnera nullum esse medicamentum vtilius cognosco. Licet magnus labor sit inimicos diligere, sed magnū erit præmium in futuro. Qui dilexerit inimicos, hic erit DEI amicus: non solùm amicus, sed & Filius.* O felicissimum hominem, qui per inimicorum dilectionem & remissionem peccatorum consequitur, & in DEI Filiū adoptatur! *Obsecro* igitur *vos* cum illo aurei oris Pontifice, qui summas iiurias à summis inimicis irrogatas sibi patiētissimè tulit; obsecro vos quotquot nomē Christo dedistis: *vt obtemperemus doctrinæ Christi; & non solùm diligentes diligamus germanè, omni odio & rancore ab animab. nostris eliminato; sed & eos, qui hostiliter nos persequuntur, diligere studeamus. Nec enī aliter nos salvari possibile erit Immò magis diligere studeamus inimicos, vt potè eos, qui nobis innumerorum bonorum sunt authores.*

Sic enim & peccatorum nostrorum remissionem invenire, & humiliatâ mēte, & cōtritâ animâ, DEVM precari poterimus.

ORATORIS CRVCIFIXI

VERBVM II.

Amen dico tibi: hodie mecum eris in Paradiso. *Luc. 23.*

Pœnitentiâ cœlum expugnari.

Iosephus Patriarchæ Iacobi filius, patri vnicè dilectus, & ob id divinosq; fauores fratribus invisus, ab hisq; venditus Ismaelitis in Ægyptum auferendus, & hîc scelere nefariæ coniugis Putipharis principis exercitûs Pharaonis in carcerem coniectus; cùm in hoc duos socios, nempè pincernarum pistorumquè regiorum præfectos, nactus fuisset, horumq; primo certam libertatem ex enarrato sibi somnio prædixisset, rogavit deniq; eum, vt honori primo restitut' vatis non oblivisceretur sui. *Memento mei* (aiebat gen. 40.) *cùm benè tibi fuerit, & facias mecum misericodiam, vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere: quia furto*

subla-

sublatus sum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum mißus sum. Dixisses verba hæc fortissimè inhæsisse animo tantâ consolatione delibuto, & his precibus devinctō; nisi prosperior fortuna restituti honoris apprehensione illa penitùs erasisset. *Succedentibus prosperis præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui* Non ita Redēptor noster Duos in Cruce supplicij nactus comites, latronem vtrumq;, cùm ab altero eorum hanc deprecationem percepisset: *Domine, memento mei, cùm veneris in Regnum tuum:* jllicó, adiectâ solennis iuramenti formulâ, sanctè ei pollicitus est, se post aliquot horarum spatium eum secum in paradisum assumpturum. *Dixit illi IESVS: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso.* Dixit, fecit; promisit, implevit. Eâdem die latronem in paradiso collocavit. O promisionem felicissimam! At quo conatu acquisitam? pœnitentiâ. Hæc enim est illa clavis, qvâ peccatores ianuā sibi cœlestis paradisi reserant: immò aries, qvo eandem perfringunt. vti luculētiùs exponam.

POstquàm nostri generis authores, præceptū DEI de non tangenda arbore scientiæ boni & mali sibi propositum violarunt; pulsi ex illis amœnissimis Elysij Regni viretis in luctuosæ mundi vallis exilium, vnico peccato & sibi & suæ posteritati paradisi ianuam perpetuò obserarunt. Quod sacer historicus his verbis testatus: *Emisit*, inquit, *Dominus DEVS de paradiso voluptatis eiecitq; Adam.* & nè quà infausto exuli ad il

lam

Iam felicem Patriam reditus aliquis pateret, *collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atq; versatilem ad custodiendum viam ligni vitæ.* Per has tales excubias irrūpere vi, aut intrare furtim in paradisum, non est possibile; maximè illis mortalib⁹, qui originali peccato actualia plurima adiecerunt. Asserit tamen ingeniosus Isidorus, pio quodam stratagemate posse quemvis peccatorem paradisi ianuam quamvis munitissimam occupare, & ad lignum vitæ penetrare; si nimirùm se in frameatum Cherubim transformet. *Qui ad DEVM convertitur* (ait ille) *per flammeam frameam versatilem, id est, per tribulationes temporales vrētes, peccata sua agnoscendo & gemendo: & per Cherubim, id est, per plenitudinem scientiæ, quod est charitas, sine qua contritio perfecta, quæ clavis est paradisi, dari non potest: ille pervenit ad Arborem vitæ Christum, & vivet in æternum.* Illustro hunc eruditi Doctoris conceptum historiâ militari. Barbarussa (quod Iovius memorat hist. lib. 38.) Mahometanæ sectæ & factionis latro, ac postea Tunetanus in Africa Rex, Magonis portum Hispanis tùm subiectum occupaturus, quò faciliùs id perficeret, *Cæsarianæ classis speciem explicatis Christianorum insignium vexillis præbuit defensoribus*. Hi suos adesse rati etiam in signum lætitiæ explosis tormentis hostem intrò admiserunt. Hac arte portum ille cœpit, & paulò post oppidum ipsum. Tartarorum quoq; Asiaticorum Rex, ab Vsangeio (narrat hoc Martinus Martini⁹ S.I. scriptor) im-

impigro & fidelissimo Sinici Imperatoris Duce in suppetias Domino suo contra latronem Licungzum ferē das vocatus, tale vocanti dedit monitum. *Vt nostra certa sit victoria, svadeo, vt tuos milites Tartaricâ veste ac pileo scissisq; capillis vti iubeas: ita fiet, vt latro nos omnes Tartaros credat.* Credidit, & potentiam veritus fugit. Verū & Poloni, Premislo aurifabro stratagematis authore, & mox in prœmium Principe, cæsis per insidias Vngarorum Moravorumq; cohortibus, arma vestesq; cæsorum induti etiam in castra pro suis quasi victorib. recepti fuerunt; quibus feliciter hostem, provehente astu fortunam, exuerunt. Vultis & vos, ô peccatores! capere paradisum voluptatis? Effingite frameatos Cherubinos: pœnitentiam ardentem arripite, quæ vos excubijs paradisi efformet similes: sic pro Cœlitib. agniti ad munitissimam illam portam admittemini, sic ad lignū vitæ perrumpetis. *Qui ad DEVM cōvertitur, &c.*

EZechiel vates nutu DEI sublat⁹ fuit in montem excelsum, super quem erat quasi ædificium ciuitatis vergentis ad Austrum; cuius Civitatis portæ Orientalis & Aquilonaris in omnibus planè mensurâ & modo conueniebant. Radulphus hoc non absq; arcano factum esse contemplat⁹ sententiâ suâ propositum meum confirmat. Dicit enim Civitatis Ezechieli monstratę [quæ non alia sit quàm cœlestis paradisus] portas æquales esse propterea: quòd tàm iusti, qui per orientalem portam eò ingrediuntur, quàm pœnitentes pec

peccatores, qui per Aquilonarem admittuntur, planè sibi sint æquales. Quamvis enim peccatores iustitiam originalem amittant, per dignos tamen pœnitentiæ fructꝰ ad innocentium sanè statum perveniunt. Vndè sicut his porta patet orientalis in paradisum, eo modo patet illis Aquilonaris, parē cum iustis ad Superos habent ingressum. En mentem doctissimi interpretis affero. *In Ezechiele* (inquit is) *porta ad Aquilonem ea oīa, quæ porta ad Orientem, perhibetur habere. Omnes enim, qui ab vtero in innocentia perstiterint, portam ad Orientem habent; quia eis Regni cœlestis aditus à lumine, quod acceperūt patet: & omnes, qui in peccatum postmodùm lapsi torporis sui frigore sunt depressi, si per pœnitentiam redeant, portam ad Aquilonem habent; quia eis etiam post peccati frigora Regni aditus per misericordiam patet.* Quod vt nobis clariꝰ elucescat, sciendū est, binas claves esse inter Ecclesiæ Sacramenta, quibus cœlum nobis reseramus: Baptismum nempè, ac Pœnitentiam. Et Baptismus quidem, docente sanctâ Tridentinâ Synodo, *ita homines innocētes, immaculatos, puros, innoxios, ac DEO dilectos efficit; vt nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur*; quoniam Veritatis æternæ promissum est: *Qui creaiderit, & baptisatus fuerit, salvus erit.* Pœnitentia verò commissa lapsorum post Baptismum peccata sic excoquit, ac emūdat, vt ad pristinum nitorem per eam redeuntes digni cœlo reperiātur. Ac proindè tam in sacris literis quā à sāctis Patrib. baptismꝰ vocatur; quòd queādmodū ille

renatis per aquā, ita hæc à peccato resuscitatis per gratiam cœlum pandit. Patet igitur iustis & innoxijs cœli porta Orientalis, at etiam peccatoribus contritis & pœnitentibus patet Aquilonaris: quæ ideò per omnia similis primæ ab Ezechiele visitur, vt agnoscamꝰ æquè peccatores cœlestis gloriæ donis cumulari, vbi seriam pœnitentiam egerint, atq; eos, qui nullo scelere innocentiam suam originalem polluerunt. O peccatores! apprehendite hanc clavim felicem Pœnitentiæ, nè soli innocentes cœlo gaudeant: illis cœlum Baptismus aperit; vobis, modò velitis, aperiet idem Pœnitentia. *Omnes enim, qui ab vtero &c.*

DIximus aperiri cœlum Pœnitentia, restat, vt idem eâdem expugnari probemus. Prodromꝰ ille Solis æterni Ioannes, postquàm cœpit doctrinæ suæ radios super fluenta Iordanis diffūdere, plurimos ad se statûs omnis ac sexûs mortales pertraxit, & adeò illuminavit, vt visis peccatorum suorum tenebris illum seriò de modo fugandi easdem compellaverint. *Quid ergo faciemus?* Tùm is nullam certiorē ac solidiorem luminis gratiæ recuperandi videns rationem quám sit Pœnitentia, brevi sed efficaci sermone cunctos ad eam hortatus: *Facite ergo* (aiebat) *fructꝰ dignos pœnitentiæ.* Alijs verò opulentioribus, at fortè non prodigis in egentiores pias largitiones persvadens: *Qui habet duas tunicas* (licebat) *det non habenti; & qui habet escas, similiter faciat.* Publicanorum deindè auaritiæ ha

benas injiciens: *Nihil ampliùs* (dicebat) *quàm quod constitutum est vobis, faciatis.* Tandem & milites, quorum plurimi profectò rapinis & oppresſione pauperum ad luxuriam vsq; abutebantur, nec alio fine invalidæ plebis fortunas exhauriebant, quàm vt lautisſimis convivijs fædisq; compotationibus eas abſumerent, ita allocutus eſt. *Neminem concutiatis, neq; calumniam faciatis; & contenti eſtote ſtipendijs veſtris.* Hæc vocis illi' in deſerto clamantis concio tàm fuit efficax, vt integras ferè legiones hominum ſceleratorum ad cœlum pœnitentiâ expugnandum concitaverit. Diſertisſimè hoc cœleſtis ipſa Veritas his apud Matthæum verbis teſtata eſt. *A diebus Ioannis Baptiſtæ Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Quod teſtimonium illuſtrans doctus interpres Cornelius: *Peccatores*, inquit, *vt publicani, meretrices, & gentiles, ipſis Phariſæis & Iudæis, qui ſibi ſolis quaſi filijs Abrahæ hoc debitum putabãt, fervore ſpiritûs & pœnitentiæ Regnum cœlorũ præripiunt, eripiunt, auferunt. Vim enim facimus Domino,* (vt melliflu' docet Ambroſius) *non compellendo, ſed flendo; non provocando iniurijs, ſed lacrymis exorando; nõ blaſphemando per ſuperbiam, ſed per humilitatem mœrendo.* O fortisſimum & validisſimum arietem Pœnitentiæ! quæ DEO facit violẽtiam, rapit cœlum, expugnat paradiſũ. Iuvat hoc ipſum eleganti hiſtoriâ elucidare. Magdeburgum, nobilisſimum & opulentisſimum ad Albim Emporium, ad eam opportunitate loci (quod Florus Germanicus af-

affirmat) paulatim potentiam excreverat, vt Romanis Imper. ſæpè grave, illuſis eorum conatibus, ſuam multis ſæculis virginitatem illibatam conſervaverit. Sed hanc auſpicijs Ferdinandi Augusti, cuius imperiũ excutiebat, Vrbi rebelli erepturus Magnus ille piusq; bellator Tyllius, eam grandi exercitu cinxit, ſpoliatãquè propugnaculis, fame preſſam, tormentis laceram ad deditionem compellere ſatagebat. Et iam cives nõ exiguis afflicti malis clementiam victoris quàm ruinã vrbis experiri potiùs cupientes, ei ſeſe conditionibus quibuſvis tradere deſtinabant, in eumq; finem tubicinem ad Tyllium expediebant: cùm, ſegniùs re procedente, ſocius obſidionis alter, Popennaimus, fortisſim' & pugnacisſimus miles, gloriæ, forſan & prædæ, avid' in vrbis inimicæ perniciem ſuos ita (iuxtà Baptiſtam Burg. l. 2.) cõcitat. Qvouſquè (dicebat) rebellis hæc Civitas veſtram virtutem, Commilitones, eludet? Annè huic obſidendæ noſtram omnem ætatem impendemus? impunes nobiſcum Magdeburgenſes tranſigẽt? Servabunt patriam, domos, aurum, qui tantùm nobis negotî faceſſiverunt; nos, qui tot tãtosq; labores in hac obſidione exantlavim', ſine prœmio abimus? Sic erit, Milites. Ecce iam tubicinem noſtrum dimittunt. Tyllio æqvis conditionibus ſe dedunt: nos meritâ partâq; prædâ defraudamur, & laceras veſtes, vulneratum corpus, defeſſam animam reportabimus? Qvin poti', priùſquàm hæc concludantur, duobus iſtis agglomera-

 tæ

tæ argillæ cubitis superatis, in inermem illam plebecu lam ferro irrumpimus? Ascendere vallum labor erit so lùm; cœtera, cædes inertium, vastationes domorũ, sola tium: supellectiles, divitiæ, quibus Magdeburgenses abundant, prœmium erunt. Agite, milites, me ducem sequimini: perfidiam sine pœna, iniurias sine vltione, nostros labores sine prœmio, esse non patiamur. Dixit, & haud sec⁹ quàm alijs persvaserat se gerẽs, districto gladio, fossam primus ingreditur, superatisq; suis munitionibus contra vallum tendit, & milites pari alacritate ducem sequuti inferiorem valli partem occupãt, mox superiorem aggressi ex ea quoq; Magdeburgẽses deturbant, confectoq; plumbeâ glande, qui potentiùs resistebat, & iam Cæsarianos repellebat, Falchẽbergio, Vrbem capiunt, diripiunt, incendũt. Sorti ego hîc Magdeburgensium condoleo; sed Ciuitatem illam cœlestem, quæ Apocalyptico Vati quondam fuit exhibita in forma nouæ Ierosolymæ, non aliter à nobis posse capi animadverto. En ducem strenuissimum D. Ioannẽ Baptistã verbis operibusq; nos eò provocantem! Vultu ieiunijs emaciato, oculis profundè capiti mersis, camelinâ pelle rigidus, pedes nudus, exsangvis, exhaust⁹, divini tantùm Spiritûs affluentiâ replet⁹, prædicat baptismum pœnitentiæ: arietem cœlo expugnando suppeditat: vi magna rapiendum ostendit: pulsandum gemitu, effringendum ieiunijs, pijs largitionib. apud custodes ei⁹ proditionẽ emendã: quodsi hoc sanctũ strata-

tagema non succedat, per stragem corporum nostrorum, per mortificationem, dico, membrorum contra animas militantium eò irrumpendum. Fructus pœnitentiæ dignos qui facit, Regnum cœlorum violentus raptor ingreditur; nec ei audet se, nec potest opponere DEVS ipse, quandoquidem seipsum tali iuramento obstrinxit apud Ezechielem c. 33. *Vivo ego: nolo mortẽ impij, sed vt convertatur impius à via sua, & vivat.* Quod cùm ita sit: *convertimini, convertimini à vijs vestris pessimis; & quare moriemini Domus Israel?* Quare damnari potiùs vultis, quàm salvari; ô peccatores! quorum gratiâ Christus, DEI Filius, incarnatus, passus, crucifixus, mortuus est? Si vobis cœlum scelera obseravêre, arripite pœnitentiæ arietem, & hasce seras convelletis, viq; vobis aditum ad vacuas indè pulsorum Angelorum sedes patefacietis. Nè dubitate, vos id effecturos, quod iam vnus ex genere latronum effecit.

PEndebat is in furca sua iuxtà dextrum crucifixi Sevatoris latus, & fortè hunc pro inimicis Æterno Patri supplicantem audiebat. Hinc cogitare cœpit, & statuere secum: illum esse, integræ vitæ, sceleris q; purum; iustum prorsùs & innocentem tám diro supplicio affectum. Prætereà supervenienti maiori lumine agnoscit facinora sua pessima, quorum causâ damnatus erat temporali morte, æternâ damnandus. Et quamvis assentatus Hebræis in pientissimum IESVM paulò antè blasphemias cum ijsdem evomêret, interea

ea tamen repentino vicini SOLIS fulgore mutatus pa linodiam canit. Nàm sociũ & supplicĩ & blasphemiæ audacter aggress⁹: *Neq; tu times DEVM* (arguebat) *quòd in eadem damnatione es? Et nos quidem iustè: nàm digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit.* O Latro! aude iam plura. Hic, quem defendis, insons, DEVS est: tuus Redemptor est: pro te ista, quæ obstupescis, libenter ille patitur. Qvin magis illũ tibi forti deprecatione concilias? Facit: &, *Domine*, ait, *Memento mei, cùm veneris in Regnum tuum.* Et hac voce non potuit mansvetissimum Domini pectus expugnari? expugnatum est. Cõcessit bonus Dominus reo veniam, & *dixit illi: Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiso.* Hoc audiens Chrysostomus planè admirabundus disserit. *Iste Latro de ligno mercatur salutem, hic latro furatur cœleste imperium, vim facit Maiestati.* quâ ratione? seriâ, licet serâ, pœnitentiâ. Advertens enim delicta sua conteritur, ac summo Sacerdoti IESV secum crucifixo humillimè confitetur. Hinc memoratus Doctor in alias voces iterùm erumpens: *Prædonem*, ait, *& raptorem paradisi vidisti? quomodo neq; in cruce artis suæ obliviscitur, sed per ipsam confessionem prædatur regnum.* Vndè felicissimum ratus D. Cyprianus Carthaginensis Præsul & Martyr sic profatur. *In cruce Latro confitens non tantùm indulgentiã meruit, sed Christi familiaris effect⁹ præmissus est in paradisũ, & factus est particeps regni per confessionem, collega martyrij.* Docuit nos hic Latro Pœnitentiâ cœlum reserare

aut

aut expugnare: docuit furari, prædari, rapere, divitias immortales. NON *enim hoc illi soli* (vt cum Augustino concludam) *præstitum esse deprehendimus. Nam dùm tantum reum* CHRISTVS *Dominus benignè relaxat, humano generi scripsit securitatem: vt consolatio, spesq;, totiùs populi, absolutio vnius desperati esset, & privatum donum cresceret in publicum beneficium.*

ORA-



ORATORIS CRVCIFIXI

VERBVM III.

Dixit MATRI suæ: Mulier, ecce Filius tuus. *Deidè discipulo.* Ecce Mater tua. *Ioan. 19*

Clemētissimā V. Mariā esse peccatorū Matrē, hos illius esse filios, in Ioāne à Redēptore eidē cōmēdatos.

GRatulor hanc felicitatem castissimo Ioanni, quòd ei Dominus noster moriturus in Cruce virgini Matrem Virginem commendaverit. Sed vnà vehementer gaudeo: eidem pientissimæ Genitrici DEI peccatores quoslibet pro Filiis in Ioanne fuisse commendatos. Eruditus enim Divini verbi paraphrastes Cornelius ita hic in persona Christi Matrē sacratissimam alloquitur. *O MATER! esto deinceps mulier fortis & generosa: quæ mei loco sis basis, petra, & columna meæ Ecclesiæ; vt eam robore tuo fulcias, & omnes contra eam tentationum procellas tuâ constantiâ, consilio, oratione, elidas, & dissipes, non tantùm nunc, sed & deinceps omnibus sæculis vsq; ad finem mundi.* Bono animo estote, peccatores. Ecclesiam suam crucifixus IESVS pietissimæ svæ Matri commendat: illā, dico, Ecclesiam, *in qua*, teste magno Gregorio, *mali cum bonis, reprobi cum electis admixti sunt* Sic enim vos malos cvm bonis in Ioanne Dominvs noster Virgini commendasse censēdus est: vobis eam pro benefica Parente obtulit. *Dixit Matri suæ: Mulier; ecce,* (vnumquemq; nostrum, bonum æquè ac malum denotans,) *Filius tuus. Deindè discipulo;* (nimirū, cuivis homini, æquè iusto ac peccatori.) *ecce, Mater tua.* Hinc religiosissimus pater Richardus à S. Laurētio, singularis Divinæ Genitricis encomiastes, quo loco staret illa iuxtà Crucem IESV, innuens, præclarè mihi favet his verbis. *CHRISTVS moriens ipsam,* nempè Matrem suam integerrimam, *habuit ab Aquilone, quo significantur peccatores: quasi hoc ipse diceret; quòd ipsâ mediante dextram extenderet peccatoribus congelatis.* Cùm itaq; sit rarus inter mortales, qui se nō sentiat multis delictis oneratum pœnas mereri sempiternas; videat, obsecro, quàm singulari studio pietatis, ac fervore devotionis, prosequi debeat Virginem Matrem, à cuius clementia certissimam salutem non modò possit expectare, sed etiam teneatur.

DIgnissimam memoratu rem, nec à meo proposito alienam, vates Apostolicus capite duodecimo suæ Apocalypseos notavit. Refert ibi: exhibitam sibi fuisse, Mulierem amictam Sole, pedibus in

fiſtentem Lunæ, ſtellis duodecim nitidisſima tempora circùm ornatam, partui ſe accingētem. Verùm præſentisſimus aderat draco, caram puerperæ ſobolem, quàmprimùm in lucem fuiſſet edita, voraturus. Enixa tamen eſt absq; periculo cœleſtis Mulier Filium maſculum. Hic nàmq; draconis faucibus vt ſubtraheretur *raptus eſt ad DEVM & ad thronum eius: Mulier verò fugit in ſolitudinem.* Interea temporis erumpit ex aula cœleſti Divinæ militiæ Imperator, Michael, cumq; ſua legione draconem aggresſus profligat, deîcit, terræ allidit. Iniquisſimè tulit hanc, ſibi ab auxiliaribus Divæ illius copiis illatam ſtragem ſerpens antiquus: quapropter reſumptis iterùm virib⁹ eandem perſequitur. Verùm datis illa ſibi cœlitùs alis duabus tempeſtiuè denuò avolat in ſolitudinem. *Poſtquàm vidit draco* (ſic rē divinus vates deſcribit) *quòd proiectus eſſet in terrā, perſecutus eſt Mulierem, quæ peperit maſculum: & datæ ſunt Mulieri alæ duæ Aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum in locum ſuum.* Pientisſimus Scriptor Bernardinus de Buſto per hanc admirandam Mulierem ſidereo diademate redimitam, Phœbeâ lampade cinctā, Lunæ ceu ſcabello ſacris plantis innitentem, & ingentibus Alis inſtructam, ipſisſimam V. DEIPARAM, iuſtorum & multò magis peccatorum Patronam & Advocatam ſingularem, omninò vult intelligi, dùm ſic viſionem Ioannis explanat. *B. VIRGO ſub alis ſuis nos cuſtodit, & ab inſidiis nos protegit. Ipſa enim eſt Mulier, cui datæ ſunt Alæ Magnæ*

gnæ: vna Ala miſericordiæ, ſub qua peccatores confugiunt, vt DEO reconcilientur; alia eſt Ala gratiæ, ſub qua iuſti cōſiſtunt, vt in gratia conſerventur. Sed cur prima Ala peccatoribus eſt protegendis asſignata, iuſtis poſtmodùm altera? Fortè ideò: quòd iuſti poſſunt ipſi facilè ſibi impetrare DEI gratiam, cùm ſemper ferè ſint in gratia; peccatores verò per peccatū inimici DEO facti, quo pacto illi poſſunt efficaciter ſupplicare, quandoquidē DEVS peccatores non audit? Itaq; hoc muneris B. V. M. commiſſum eſt, vt frequentior ac ferventior, & propē ſolis peccatoribus apud DEVM ſuumq; dilectisſimū Filium patrocinetur. Quare illā devotisſimè hac de re cōpellans D. Germanus Patriarcha Conſtantinopoleos: *TV*, inquit, *cùm habeas Maternam apud tuum Filium fiduciam & potentiam, nos, qui ſumus condemnati, & non audemus intueri cœli amplitudinem, tuis interpellationibus & intercesſionibus DEO nos efficis familiares, das ſalutem, ab æterno liberas ſupplicio.*

Hoc ipſum DEUS ipſe videtur nobis innuiſſe, cùm Deutor. 32. ſic peccatores alloqueretur. *Videte, quòd ego ſim ſolus, & non ſit alius DEVS præter me. Ego occidam, & ego vivere faciam: percutiam, & ego ſanabo: & non eſt, qui de manu mea posſit eruere.* Hæc nàmq; Divina verba doctisſimus Richardus in dialogyſmum ſolertisſimè diſpoēns, & alia Chriſto DOMINO peccatorum Iudici, alia clementisſimæ eius Matri peccatorum advocatæ tribuens, nō absq; magno ſolatio noſtro in

hunc

hunc modum ratiocinatur. *Sæpè, quos Filij iustitia damnat, Matris misericordia liberat: quæ scilicet iustitia Filij & misericordia Matris videntur sic altercari. Quasi dicat Iustitia: Ego occidam, & percutiam: Misericordia Matris respondeat: Et ego viuere faciam, & sanabo.* *Dicit etiam Misericordia Matris illud, quod sequitur: Et non est, qui de manu mea possit eruere.* Deniq; concludens hunc Dialogysmum disertus Pater ita stimulat & excitat peccatorem, vt ad MARIAM quasi certissimum Asylon confugiat ab ira DEI. *Fugias igitur* (clamat Richardus) *sub protectionem manûs eius, & nihil timendum est.* nihil penitùs, nihil. Non vehementia accusatoris, non magnitudo criminis, non furor iudicis, non vis infernalium tortorum, non æternus carcer damnatorum. O Vrbem Refugij & potentissimam & pientissimam! in cuius tutela nihil est peccatori metuendum, nihil, nihil. O Matrem, longè quàm dici aut cogitari potest, misericordissimam! in cuius gremium nocentes filij Adæ vbi se receperunt, ab omni metu atq; periculo mortis æternę sunt imunes, & felicis Æternitatis acquirũt securitatẽ.

Profectò Dominus DEVS noster, cui' bonitatis & clementiæ nulli termini sunt, nè pro suæ rigore iustitiæ nos aliquando turpiter delinquentes punire severiùs aut perdere cogeretur, protectricem nobis V. MARIAM eo modo providit apud se, quo Hebræis olim apud regem Persarum ac Medorum patronam Hesterem paraverat. Persvasus fuerat ille rex (Assvero nomen erat) à scceleratissimo aulæ suæ delicio Amano, odium suum in Mardochæum verum Israelitam explere conante: vt, quotquot in eius provincijs Hebræorum numerarẽtur, vno eodemq; die simul trucidarentur vniversi. Iamquè fuit ferale decretum cœdis istius horrendæ ac impiæ regia in vrbe promulgatum, iam conclamatum erat de vita fortunisq; miserrimi populi: qui plenus desperationis metûsq; lugebat, eiulabat, lamentabatur, & ante ferrum gemitu dolorequè concidebatur. *Pependit edictum in Susan, Rege & Aman celebrante convivium, & cunctis Iudæis, qui in Vrbe erant, flentibus. Hest.* 3. 15. Sed en affulsit inopina spes oĩ spe destitutis. Hester enim Regina, genere Hebræa, de hac suæ Gentis calamitate à Mardochæo edocta, tàm efficaces pro ea avertenda regi preces obtulit: vt non solùm crudele edictum subitò fuerit abolitum, sed insuper auctor edicti suspendio mulctatus. *Suspensus est Amã* (ait sacer codex *Hest.* 7.) *in patibulo, quod paraverat Mardochæo, & Regis ira quievit.* Hester illa Iudæorum liberatrix, Typus erat Virginis benignissimæ Terræ Cœliquè Reginæ, protectricis peccatorum. Quis enim igñoret nostrum, quæ sententia æterni supplicij in peccatorem miserum lata est? *Anima, quæ peccaverit* (loquitur DEVS *Ezechiel.* 8.) *ipsa morietur.* Quali morte? æterna. Sic enim hoc suum funestum edictum horrend' Iudex declarat apud Athanasium in symbolo Fidei. *Qui mala egerunt, ibunt in ignem æternum.* O peccatores! ò de-

sperati! quorsum, quorsũ vos tàm tremendæ & infelici sententiæ subducetis? ecquis ab illa vos liberos faciet? quis absolvet? Nonnè *Intemerata, prorsusq́, pura Virgo, DEIPARA, Regina omnium, Spes desperantium?* Sic sentit D. Ephrem, Syrus. Ad hanc quemlibet consceleratorũ iubens recurrere Bernardus, eius deliciæ: *Si criminum,* ait, *immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, Iudicis horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso: cogita MARIAM, MARIAM invoca. Illa enim est propinqua nostra, illa contribulis nostra, illa de genere nostro. Faciliùs quemvis audit, quàm DEVS offensus: quin hunc nobis ipsa conciliat.* Hoc ipsum Hugo de S. Victore: *Si pertimescis,* ait, *supplicaturus ad DEVM accedere, respice ad MARIAM. Non illic invenies, quod timeas; genus tuum vides. Iam veni mecum* (adijcit eximiˀ Virginis cultor B. Ildefonsus) *ad hanc Virginem, nè sine hac properes ad gehennam. Veni: abscondamur sub velamento, nè induaris cõfusione sicut diploide. O peccator!* (Exclamat Bernardinus de Busto) *nè te desperationis barathro immergi sinas, sed confidenter ad potentissimam hanc clementissimamq́, Advocatã recurre. Ipsa tibi succurret sine dubio, quia potest.* immò debet, qua de causa? Nàm ei peccatores in Ioanne, vt filij commendati sunt.

NVllum habeo dubium: vnumquemquè scire velle. Cur Beatissima V. MARIA sapientissimo Regi, inter varias, quib. eã ductu divini Spiritûs adumbravit, figuras, etiam in Lunæ specie fuit repræsẽtata. Hanc enim is conspicatˀ *can.* 4. sciscitabatur. *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi Aurora consurgens: pulchra, vt Luna; electa, vt Sol?* Intelligemus omnes hoc mysterium, postquàm fuerimus recordati: quod officium à se conditæ Lunæ DEVS imposuerat, cùm illam cœlesti firmamento affixisset. nempè: *vt præesset nocti.* Quid autem hîc putatis noctis nomine significari? Peccatores. Fassus hoc ingenuè Paulus ex Saulo, ita scribens Ephesiis cap. 5. *Eramus aliquando tenebræ: nũc autem lux in Domino.* Talem se & Augustinus, posteà sanctissimus, non erubuit coram DEO profiteri *Sol. c.* 38 his verbis. *Erat nubes magna & tenebrosa antè oculos vanitatis meæ, ita, vt videre non possem Solem Iustitiæ, & lumen Veritatis. Involvebar in tenebris filius tenebrarum: tenebras meas amabam, quia lumen non cognoscebam. Cæcus eram, & cæcitatem amabam, & ad tenebras per tenebras ambulabam.* Quis demũ dubitet, noctem frequenter in Divinis literis quadrare peccatoribus, si vel hunc vnicũ Solis Claravallensis radium, quo sacram paginã illustrat, contempletur? *Nox est* (ait Bernardus) *Iudaica perfidia: nox ignorantia Paganorum: nox Hæretica pravitas: nox etiam, Catholicorum carnalis animalisvé conversatio. An non nox, vbi non percipiuntur ea, quæ sunt Spiritus DEI? Qui dicit, se in luce esse, & fratrem suum odit: in tenebris est adhuc, in tenebris ambulat, & nescit, quò eat: quia tenebræ occæcaverunt oculos eius.* Ita sentit dilectus Christo Apostolus epistola 1. c. 2. Si ergò peccatores sunt, Nox; ad his præbendum lumẽ sanctissima

V. MARIA, cuius nomen ipsum sonat illuminatricem, à facie DEI *progreditur, quasi Aurora consurgens: pulchra, vt Luna: electa, vt Sol.* Attende, quàm hoc fortissimè & pulcherrimè promoveat Romanus pontifex Innocentius Tertius. *MARIA*, inquit ille, *est Aurora consurgens: pulchra, vt Luna: electa, vt Sol. Luna lucet in nocte, Aurora in diluculo, Sol in die. Nox autem est culpa, diluculum pœnitẽtia, dies gratia. Qui ergo iacet in nocte culpæ, respiciat Lunam, deprecetur MARIAM, vt ipsa cor eius ad compunctionem illustret. Quis enim de nocte invocavit eam, & non est auditus ab ea?* Hæc Mariam Ægyptiacam ex vase contumeliæ in vas gloriæ trãsformavit. Hæc Theophilum è potestate dœmonis ereptum cœlo transcripsit. Hæc Gulelmum Aquitaniæ Ducem post seriam conversionẽ sæculi tenebris incautius rursus illabentem per subitaneam cæcitatem ad lucem inchoatæ pœnitentiæ reduxit. Dies me deficeret, si exempla eorum conarer enumerare, quos hæc Luna versantes in nocte scelerum luci gratiæ restituit. Quanquam & hoc in favorem peccatorum factum est, quòd sacratissima V. *MARIA* non solũ sit *pulchra, vt Luna; sed etiam electa, vt Sol. SOL enim*, ita disserente Richardo à S. Laurentio, *tantæ liberalitatis est, quòd à nulla creatura quantùmcunq; fœtente & sordida, si sit ei exposita, radios suos avertit: Similiter & MARIA à quantùmcunq; vilissimo peccatore ipsam fideliter invocante non avertit respectum pietatis suæ.* Et quare avertat: quandoquidẽ vnusquisq; peccatorũ ei fuit ĩ Ioãne pro filio cõ-

mendatus. *Mulier, ecce filius tuus.* Ades huc, ô desperatissime peccator! qui iam scelerum tuorũ gravitate ad ima tartara deprimeris, & conclamatum esse de tua salute existimas: ades huc, ad pedes *MARIÆ* recurre: *Ecce Mater tua.* Quid hæres? quid trepidas? quid obstupescis? Audin' quid de eius pietate pientissimus vates Baptista Mantuanus, sanctior montis Carmeli Virgilius, occinat? *Ipsa est adversis commune in rebus Asylon:*

Ante preces etiam, necdùm exaudita, favorem
Donat, & ad miseros maternas explicat vlnas.

Optat hoc ipse DEUS pater misericordiarum, vt post eum in hac Matre nostra omnem fiduciam æternæ vitæ nostræ collocemus. Nâm illud sanctitatis prodigium, Catharinam Senensem, Dominicanæ Familiæ sidus illustre, hac ipsa de re sic quondam allocutus st. *MARIÆ vnigeniti Filij mei Genitrici gloriosæ concessum est à Bonitate mea propter incarnati VERBI reverentiam: quòd, quicũquè iustus, vel peccator, qui recurrit ad eam cum devota reverentia, nullo modo diripietur vel devorabitur ab infernali dœmone. Nâm ipsa est à me electa, parata, & posita, velut esca dulcissima ad capiendum homines, & præsertim peccatores. Veniant* igitur *peccatores ad eam*, (concludo cum Fulberto Carnotensi) *tundentes rea pectora cum interno fletu; ipsi quoq;, si verè pœniteant, desideratam veniam adepturi*,



ORATORIS CRVCIFIXI

VERBVM IV.

DEVS meus, DEVS meus; vt quid dereliquisti me! *Matth. 27.*

Vt Orationis peccatori DEVM reconciliari.

IMpiꝰ Calvinus, quemadmodùm totꝰ blasphemias in suis dogmatib. olere videtur, ita in explicãdo hoc æterni VERBI ad PATREM æternũ (quod notavit Cornelius) suspirio se singulariter impium ac blasphemum demonstravit. Affirmat enim hîc Christum Dominum vocem desperationis emisisse; & quasi verum esset, (quo ipsum scommate perstringebãt Iudæi sacerdotes dicentes, *alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere;*) omnipotẽtiâ exutum saluti suæ succurrere non potuisse. O fædam blasphemiam! ô stultã, ac nefariam, sacrarum literarũ interpretationem! Profectò sapientiꝰ & sanctiùs in hoc verbum Domini nostri animadvertens D. Leo: *Vox ista, inquit, non querela, sed doctrina est.* Cùm enim ad DEVM Patrem incarnatꝰ eius Filius suspirat in tormentis, ad illum, inquam, Patrem, cui semper est æqualis; non tàm se queritur derelictum, quàm nos docet: tùm ferventissimè, cùm à DEO fuerimꝰ derelicti, vt eum revocemus, orationi insistere; vt eum reconciliemus, instantissimè deprecari. Quod vberrimè iam confirmo.

DVabus ex causis homini se DEVS amat subducere. Vel, cùm vult experiri: quid suis viribꝰ valeat, aut saltem velit, homo; quî proprio natet cortice; tametsi non ignoret, haud aliquid eum sine cœlestibꝰ auxilijs posse. Vel, cùm idem, admissâ lethali culpâ, DEVM à se fugat, & in ius infernalis genij spõtè trãsit. Quod aliquando optimus Dominus apud Ieremiam conquestus dicebat c 2. *Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Populus DEI sumus omnes, quòvsq; mandatis eius parenꝰ, quòvsq; ab eius nutibus pendemus. At vbi turpi aliquâ nostrum animum labe coinquinamus, recedẽtes à Creatore ad creaturas; rebelles eidem continuò sumus, & atrocissimo Orci tyranno mancipamur. Bibimus ex fonte bonorum omnium dùm sumus (vt aiunt Theologi) in gratia; hac autem per peccatum spoliati, turbidissimam ex Cocyto atq; styge aquam haurimus. Quàm fædis mergimus ora vadis, quum dœmonum invitationibus non

reluctamur. Hucomninò collimavit admonitione suâ doctor orbis Hieronymus, cùm DEI verba memorata exponeret: *Attendendum est,* (dicit) *quòd fons perpetu⁹ est, & vitales habet aquas; cisternæ autem & lacus, vel de torrẽtibus, vel ex aquis turbidis terrâ complẽtur, & pluvijs. DEVS igitur, qui fons est vitæ, dæmones dissipatas cisternas vocat.* Tales cisternas fodit sibi, quisquis fædo maculatus facinore DEVM nefariè deserit, & in dæmonis venit potestatem: qui relicto Fonte Vitæ mortis authorem sectatur: cui Circæa pocula nectare cœlesti sapidiora sunt. Sed iam quærendum est. Quo igitur modo fugat⁹ à nobis fætore peccati DEVS revocandus est? fragrantiâ, dico, orationis.

Delectatur fætore dæmon, odore DEVS: hoc expellitur ille, hic attrahitur. Sacræ literæ, magistræ virtutũ, luculẽtissimo testimonio id ipsũ confirmant. Ibat Thobias junior cum Archangelo Raphaele, sub humana specie fidissimi Achatis occultato, (*Thob. 6. 2.*) in Rages Medorum: cùmq; vicinum Tigri fluvio iter carperent, incessit Thobiam desiderium fluminis ingrediendi, fortè vt lassos pedes aquâ recrearet. Quod dùm magis avidè quàm cautè perficit, *ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum.* Penè mortuus præ terrore conciderat nobilissimus adolescens; quod tamen in tali casu proximum iuuamen erat, comitem invocans: *Domine, domine,* (clamabat) *invadit me.* Raphael animans perterritum iubet; protinùs vt piscem intrepidus apprehendat, extrahat in ripam, occidat, exẽteret; atq; cor ei⁹, & fel, & iecur recõdat. Facit imperata strenuè summo periculo defunctus juvenis, & simul familiariùs comitem sapientissimum rogat: cui bono piscis intestina servarentur? Hîc Raphael de mira eorum virtute rogantem informans: *Cordis,* ait, *particulam, si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, sivè à viro, sivè à muliere, ita, vt vltrà non accedat ad eos.* Probatum hoc deniq; est, cùm Thobias vinculo matrimonij Saræ filiæ Raguelis, quem adierat causa recipiẽdi debiti, copulatus, ab ea fortissimum dæmonem, aliquot juvenum antè se triumphatorem, fumo ex corde istius piscis excitato fugavit. Quod Lyranus egregi⁹ divinarum literarum jnterpres expendens, appositissimè rei præsenti hunc fumum illustrat. *Fumus ille,* (verba sũt Lyrani) *ex igne procedens, significavit orationis virtutem Thobiæ, & Saræ: cuius merito Angelus Raphael expulit dæmonem à Sara* Vt hoc meliùs percipiatur, cõcedendum est philosophis: *duo contraria non posse simul esse in vno eodemq; subiecto.* mutuò namq; pugnant, donec à fortiore debilius extrudatur. Quid verò gratiæ DEI magis adversatur, quàm peccatum? quid ipsi DEO magis odiosũ ac inimicum, quàm dæmon? Vultis igitur DEI gratiam quâ vos peccatum spoliavit, recuperare? vultis DEVM, quem scelestâ in dæmonem propensione fugastis à vobis, iterùm in vestra pectora revocare? Expellite priùs indè ardentis orationis suffitu peccatum, ô peccatores!

at

atq; simul eius authori stygio tyranno nuntium remittite: mox & gratia D E I, & ipse D E V S ad vos revertetur. *Fumus ex igne procedens* intestinorum piscis adusti expulit dœmonem à Sara; D E V M verò illi conciliavit. Oratio enim, vt dœmoni exosa est, ita D E O grata: fugat dœmonem, invitat D E V M, immò trahit in cor orãtis ceũ vinctum.

Noemi pietas hîc nobis esse potest exẽplo. Postquám Nòëmus, totius orbis Navarchus, ex Argo illa vniversi conservatrice in terram, diluvij subsidentib⁹ aquis, exscendit, primò sibi cœleste Numẽ conciliandum ratus, *ædificavit altare, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare.* Quid interea? *Odoratus est Dominus odorem suavitatis, & ait: Nequaquàm vltrà maledicam terræ propter homines: Sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Non igitur vltra percutiam omnem animam viventem, sicut feci.* Per DEVM! vndè hæc repẽtina mutatio D E I? Qui antea dicebat iratus: *Maledicta terra; spinas, & tribulos germinabit.* Nunc longè diversa: *Nequaquàm, ait, vltrà maledicam terræ.* Antea *tactus dolore cordis intrinsecùs: Delebo* inquiebat, *hominem à facie terræ, ab homine vsq; ad animalia, à reptili vsq; ad volucres cœli: Pœnitet enim me fecisse eos:* Nunc totus placatus & placidus, totus bonus & suavis, aliud recinit: *Non vltrà percutiam omnem animam viventem, sicut feci.* Vnde isthæc tàm subita mirabilisq; in eo præsertim, qui nõ mutatur, metamorphosis? Quia *odoratus est* (vti docet sacer codex gen. 8.) *Dominus odorem suavitatis.* Quasi diceret: Eò vsq; irascebatur, furebat, delebat orbem D E V S; quòvsq; acerbissimus fætor humanorum scelerum nares eius opplebat: vbi verò odor suavitatis, odor pœnitentiæ, odor deprecationis, odor orationis, easdem recreavit; subitò quasi mutat⁹ in alium dextram cohibet, optimamq; terræ fæcunditatem, & humano generi incolumitatem ac pacem pollicitus, *nequáquàm maledicã terræ,* dicebat: *non vltrà percutiam omnem animam vivẽtem.* O beatum odorem, qui terræ, ac terrigenis, tã plenè D E V M reconciliavit! Sed quæri hîc potest: qva ex re tàm gratus D E O hic odor emanavit? Ex carnibusnè animalium immolatorum? an aliundè? Primum non potest asseri: cùm potiùs ex illa carnium combustione fumus ac nidor ingratus prodiisse debuerit. Igitur alia fuit odoris illius origo, & quidem tanti, qui nidorem carnium suâ fragrantiâ suppresserit. Affirmatissimè hoc aureâ celebris eloquentiâ Pontifex enuntians: *Animus,* ait, *offerentis fumũ, & nidorem, & omnem insuavitatem, quæ indè* (nempè ex animalibus combustis) *nascitur, multâ fragrantiâ implevit. Nec enim caro DEVS est,* (vt subdo ex Ruperto) *aut corpus, vt talium delectetur odoratu. Sed quia spiritus est, & in hostijs corporalibus offerentis cor intuetur; & si piũ est, contritione eius delectatur suavis Dominus, plusquàm homo corporali, quantùmvis suavi odore mulcetur.* Vide, vide; quàm grata sit optimo D E O fluens ex pio cor-

contritoq; corde: quàm fortiter fætorem commissorũ peccatorum dissipet: quàm odore suo DEVM faciat homini placatissimum.

JAm hoc ipsum producto ab æterna Veritate exemplo illo decantatissimo comprobem⁹. *Duo homines* (dicebat Dominus noster Luc. 18.) *ascenderunt in tẽplum, vt orarent*. Quinàm? aut quales? *vnus Pharisæus, alter Publicanus*. Præclari ambo: Arcades ambo. Audienda omninò vtriusq; oratio. Quid igitur intra labia iactas? Pharisæe. *DEVS*, ait, *gratias tibi ago:* quamobrẽ? *quia non sum sicut cœteri homines, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic* (respexerat illum simulq; despexerat) *Publicanus*. Videris benè orasse, Pharisæe. Gratias enim DEO egisti pro conseruatione tui in statu gratiæ. Nec malè prorsùs agis, quòd te peccatorib⁹ non conformes, quos ipse DEVS odit. Verùm ego hoc de te iudiciũ formo; Iudex æternus an simile, adi Lucam, intelliges. Interea, heus tu etiam Publicane, quid oras in terram submissis oculis? quid pugno feriens pectora suspiras? *DEVS*, inquit, *propitius esto mihi peccatori*. Itanè? tu peccator es? idcircò terram aspicis, cœlum non audes. Sed, amabo: tunè DEVM fugatum per scelera è corde tuo iterùm, peccata hinc extrudendo pugno, satagis huc reuocare? Advertam protinùs: an aliquid hoc orandi modo sis profecturus aut effecturus. Profecit omninò, & plurimùm effecit. Nàm, quod vix sperare audebat, reconciliato sibi Numine supremo, *descendit iustificatus in domum suam*. Iustificatus? quâ ratione? *In corde contrito*, ait D. Paulinus ep. 18. *sui accusator accipitur, & obtinet veniã de confessis peccatis*. Hæc est perfecta iustificatio, remissio peccatorum, DEI ad cor pœnitentis reversio. Quãta vis humillimæ orationis hoc efficientis!

EVangelistarum alter D. Marcus, ex illa muliere, *quæ erat in civitate peccatrix*, asserit septem dœmonia virtute nostri Servatoris eiecta fuisse. Quid fuit infelicius hac animâ, quam DEVS à se relictã, tot tàmquè diris carnificibus (intelligo vitia) insidendam permiserat? Is tamen, qui, non iustos, at peccatores venerat salvaturus, hanc miserrimam energumenam non liberavit modò, sed insuper ad tantum & sanctimoniæ & gloriæ gradum evexit: vt difficile sit definire, quod op⁹ excellentiùs fuerit omnipotentiæ bonitatisq; Divinæ; mundinè, ac rerum omnium creatio, an Magdalenæ cõversio? Si tamen scire velis, quid illam gratiã maximæ peccatrici apud generis humani reparatorem conciliavit, accede D. Lucam, & principem Doctorum Augustinum, disces. Divus quippè Lucas narrat: hanc famosissimã mulierem, septem dœmonijs insessam, in domũ Pharisæi cuiusdam, quùm ibi Christus cœnaret, audacissimè irruisse: ad pedes Christi proruisse; hos multo lachrymarum imbre non rigasse tantùm, sed etiã lavisse; lotos preciosissimo liquore perfudisse, perfusos ornamẽto singulari sui capitis, cirris inquam flaventibus, tersisse: ac propterea ab internis tortoribus ibidem exsolutã il-

illa Divini oris suavissima verba excepisse, illam tesseram reconciliati sibi Numinis, illam cautionem remissorum debitorū, illud æternæ Regis æterni amicitiæ symbolum: *REMITTVNTVR TIBI PECCATA.* Porrò Augustinus totū hoc negotium admirabile & obstupescendum diligentissimè, provt par erat, expendens orationi tacitæ, verùm efficacissimæ attribuit. *Fudit lachrymas cordis* (ita de Magdalena IESVM deprecante disserit) *& lavit Domini pedes obsequio cōfessionis, capillis suis tersit, osculata est, vnxit. Tacita loquebatur, non sermonem promebat, sed devotionē ostendebat.* ideó promeruit audire: *Remittuntur tibi peccata.* Fugatis dœmonijs, iam in te mea gratia; amor mei, non amor sæculi, (DEVS hoc dicebat DEVS efficiebat,) æternùm permanebit. Quisquis es à DEO desertus, à malo genio possessus, spoliatus gratiâ, delictis oēratus; ingemisce, tunde pectora, funde lacrymas, clama, clama: *DEVS meus, DEVS meus: vt quid dereliquisti me?* & redibit in te virtus ex alto, fugabuntur dœmonia, remittentur peccata; gratiâ, gloriâ, DEO, repleberis. *Qui enim* (cum Isidoro Pelusiota cōcludo) *pectus & viscera sua compunctione percutit, & flebilium sermonum choros adiungens pœnitentiæ calamum in pixidem mœroris lachrymarum nocturnarum intingit: morte CHRISTI pro peccatoribus suscepta nō frustrabitur.*

ORA



ORATORIS CRVCIFIXI

VERBVM V.

Sitio. *Ioan. 19.*

Sitim animarum, quâ Christus torquetur, earundē conversioni maximè conducere.

NArrat Surius, celebris prorsùs è Carthusiana familia scriptor, Landelinum quendam è prima Gallorum nobilitate juvenem cognatorum pessimis conatibus à religiosæ vitæ proposito retractum, permissis ætati fervescenti licentiæq; frænis, prædonum tandem societatem iniuisse. Quorū deindé factus antesignanus, cùm quadam nocte alicuius opulenti Crœsi direpturus ædes manipulos colligeret suorum, vnū sibi é carioribus repentino mortis ictu trucidatum deesse animadvertit. Obrutus propterea mœrore animi loco prædæ quieti se dedit, & en videt per somnium illum ipsissimum, cuius fato affligebatur, à non bonis genijs in orcum abripi, se autem ab optimo (tutelaris erat) his interpellari: *Heus, an & nūc socius huius eris?*

 ter

Territus ille viso inferni barathro, noluit suo Pirithoo Theseus esse: sed à somno & vitijs expergefactus ita mutatus est, vt post visitata ter Divorum Apostolorum limina, post exstructa complura cœnobia, post edita miracula, cilicio & cineri incubans vltimum diem sanctissimè obiverit. Tantùm Landelino profuit vivo ad inferos descendisse & balneum sceleratis paratum non frustra, licet in somnis, oculis mentis perlustrasse. Verùm ego hîc nolo quenquam horrore cruciatuum æternorũ ad bonam frugem revocare: sit vnicuiq; potiùs hanc ad rem stimulo ardentissima Filij DEI sitis, quâ vehementissimé animarum nostrarum salutem nunquam nõ sitit, quam explicatissimè huius rei gratia propono. Rogo te, qui legere dignaris hunc discursũ: vt si te gratia DEI provexit ad excelsum perfectionis gradum, magis adhuc DEO placere coneris: sin per amorem rerum creatarum procul à Creatore tuo elongasti, *Verte gradũ*, obsecro, *non est bona semita, verte; Hac, periêre oẽs, quotquot iêre viâ.* Verte gradum, & sitienti IESV conversionis tuæ calicem optatissimum propina.

EMendatissimus ille Regum lapsorum David, prout sacri fasti memorant, latenti sibi metu persecutorũ in spelunca Odollam excitari sensit ingentẽ appetitũ limpidissimi fõtis, ad paternæ Bethleem portã cristallino liquore homines ad se rapientis, at eo temporis ab hostibus Azophilis circumsessi. Itaq; nõ dissimulans, quod erat, coram suis commilitonibus in hæc verba exclamavit. *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethleem iuxtà portã!* 2. *Reg.* 23. Admirari quispiam posit Regis huius non minùs fortissimi, quàm sanctissimi tàm exiguam mortificationem, tàm verò gravem sensualitatem minimè dissimulatam, ob quam tres Heroes fortissimos exercitûs sui, qui satisfacturi palato ei⁹ per medios hostium cuneos ad cisternam penetrarant, in apertissimum discrimen coniecit: simulq; reprehendere Davidem, quòd cúm esset bellator veteranus, eó loci se cum exercitu posuerit, vbi rei pernecessariæ, nẽpé aquæ penuriâ, laborandum erat. Verùm ego magnum hîc mysterium deprehendo. David enim iustissimus, Typus erat mundi Servatoris. Quod inter alios Patres D. Remigius clarissimè his verbis insinuans: *David*, inquit, *interpretatur manu fortis, vel visu desiderabilis. In quo significatur CHRISTVS: qui est manu fortis, quia vicit diabolum, & spolia eius distribuit; visu desiderabilis est, quia non solùm homines sed & Angeli desiderant videre eum.* Ergò David sitiens Christum sitientem denotabat Sed quó totam rem perfectiùs capiamus, videndum est: quid Bethleem, cui⁹ ad portam tàm nobilis cisterna reperiebatur, quæ etiam figurato David Christo mirificam sitim accendit, significet. *Bethleem*, ait Gregorius Magũs, *domus panis interpretatur.* Penes hunc panem reperiebatur aqua: Nám Dominus IESVS nihil esurivit vnquam, nihil sitivit, præter salutẽ animarum. Vndé, cùm aliquando illum discipuli sollicitè rogarent:

Rabbi, manduca: respondiſſe illis fertur: *Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis:* vtq; meliùs eum caperent, adiecit: *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, vt perficiam opus eius.* Quod opus? *Hominum vocationem,* inquit Albertus ille Magnus, *conuerſionem, & ad Patrem reductionem.* Cùm igitur Servator noſter in perſona Davidis expetebat aquam de ciſterna Bethleemitica; *eſuriuit & ſitiuit,* quemadmodũ notauit Mediolanẽſis Præſul, *non cibum aut potum humanum, ſed ſalutem.* Liceat hanc ardentisſimam animarum ſitim, quæ DEI Filium continuò torquet, clariꝰ intueri. Docent naturalis hiſtoriæ ſcriptores, quoddam ſerpentum genus (dipſades vocant) reperiri: qui dùm hominẽ admordẽt, adeò noxium venenum in eum tranſfundunt, vt repentè potum appetat, & ſitim tamen bibens continuò non reſtiguat. Nunc ad rem. Serpens ille antiquus, diabolꝰ, morſis Parentibus noſtri generis tàm dirum in eos virus effudit, vt omnes moriamur in Adam. Quamvis autem veriſſimum ſit, Chriſtum Dominum nequaquàm hoc virulento tartarei dipſadis toxico afflatum fuiſſe, cùm & ex Matre ſerpentis huius domitrice, quæ nec ipſo peccato, nec peccati fomite fuit affecta, ſit ortus; & hoc præſertim fine carnis humanæ indumento veſtitꝰ, vt peſti huic pharmacũ afferret: quia tamen pro ſua in nos charitate noſtras infirmitates ipſe aſſumpſit, & lãguores noſtros, teſte Prophetâ, tulit, atq; dolores portavit, *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo,* tâtâ

tâ ſiti animarum noſtrarũ ſalvandarum aſſiduò flagrabat, vt quoddam modo à ſtygio dipſade ictus videri potuiſſet. Hinc eleganter purpuratus Hugo: *Mirum eſt,* ait, *quòd Fons ſitit; ſed hæc omnia propter nos.* Ille, qui quondã clamabat in medio templi Ieroſolymitani, *ſi quis ſitit, veniat ad me, & bibat:* etiam per Davidem ſitim ſuã aperiens clamabat: *O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethleem iuxtà portam!* Et *hæc omnia propter nos.* Pergamus vlteriùs.

Tendebat IESVS, provt refert dilectꝰ ei diſcipulus, ex Iudæa in Galilæam per Samariam: cùmq; veniſſet in civitatẽ *Sichar, fatigatꝰ ex itinere ſedebat ſic ſuper fõtẽ horâ quaſi ſextâ. Io. 4.* Interea venit mulier cum hidria aquam hauſtura. Cui ille: *Mulier, da mihi bibere.* O fæminam, terq; quaterq; beatam: à qua ille potum petit, qui liquorum omnium creator eſt! Ocyùs, ocyùs immerge fonti hidriam, & omnium bonorum Fõtem frigidâ tuâ recrea. Non vult. quamobrem? quia ſe agnoſcit Samaritanam. *Quomodo tu,* (ſic audet cũ æterna Sapientia diſputare) *Iudæus cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? Non enim couruntur Iudæi Samaritanis.* Vultis fortè iam noſſe, curioſi mortales, cuiꝰ momenti erat hæc ratio, ob quam Chriſto potꝰ à Samaritana denegatus eſt? Audite igitur ſuavisſimum Claræ Vallis Abbatem hac de re ſic diſſerentem. *Samaritana,* ait ille t. 4. ſer. 24. *interpretatur anima vana, quæ quærit tantùmmodò laſciuias, delectationes, luxuriam, auaritiam,* &

& omnia desideria mundi. Itanè? Hoc erat illa Samaritana? vana, lasciva, luxuriosa, avara, plena desiderijs mũdi. Quis ergô miretur, eam Iudæo vero, talium vitiorũ hosti maximo, noluisse haustum frigidæ impertiri? Sed expende iam, quãtâ siti IESVS premebatur, cùm ab hac muliere potum flagitaret: quanto inquam, salutem huius animæ vanæ, ac effrontis & immansvetæ, desiderio expetebat. Docet enim Albertus Magnus, quòd *plùs sitivit salutem animæ, quàm potum aquæ.* Primò nàmq; eius causâ *fatigatus erat* festinando celerrimè ad civitatem; nè tempus, quo ventura fuit ad puteum, sibi cognitum ab æterno, præteriret. *Noverat enim Dominus* (dicit aureus Doctor) *quam horã captandæ quieti cæteri dabant, hac illam solere aquæ adhibendæ vacare: propterea horâ sextâ abijt. Et nè videri posŝit casu veniŝe,* (addit Burgensis) *qui omnia dispensat; mentẽ illius arcano ducebat impulsu, vt tũc veniret, quando Fons vitæ, CHRISTVS, ibi erat.* Quia verò illam tempore præuenit, *more fatigati* (ait Caietanus) *innixus fonti, puta, applicato brachio super labium fontis ad sustinendum caput, eam præstolabatur. Sic enim solent fatigati sedere.* Porrò D. Ioannes (vt asserit vnus aliquis è recẽtioribus) per hanc dictionem, *Sic,* Divini huius Pastoris anxietatem, ardentisŝimumq; amorem denotare videtur, quo in perditæ huius oviculæ assidua requisitione æstuabat. Vocem deindè alloquentis eam si consideres, *vox deprecantis est,* ait Tolet[9], *: & qui imperare potuit Angelis, vilem adulteram, & infidelem mulierem* (hoc erat Samaritana) *rogat. Adeò enim hominũ diligit salutẽ, vt, quod nostra summopere intereſt, etiam precibus flagitet.* Tandem refractariam advertens, & ignaram sui boni: *O si scires,* ait, *donum DEI, & quis est, qui dicit tibi: da mihi bibere: tu, forsitan petiŝes ab eo, & dediŝet tibi aquam vivam.* Quæ verba trutinans Bernardinus Senensis, & vnà Chananeæ illius reminiscens, quæ summis aliquando precibus & propè importunis à Domino salutem filiæ suæ extorquere nitebatur, in has voces erumpit *Quando mulier Chananæa affectione fervens, sollicitudine quærẽs, clamorib. petens, filiam, id est animam suam, salvari deposcit; & nihilominùs IESVS fugit, obmutescit, & spernit velut canem, & eam quodammodò abhorrere apparet. E contrà hanc Samaritanam insectari videtur, etiam suis inspirationibus renitentem.* O cæca *Samaritana! Anima vana,* lasciva, delicata, luxuriosa, avara; plena desiderijs carnis, oculorũ, superbæ vitæ, voluptatum huius mundi; da, (per salutem tuam obtestor te) da potum sitienti Servatori tuo; propina illi teipsam. Quid conversionem tuam procrastinas? En, quærens te fatigatur, fatigatus sedet, sedens opportunum tempus alloquendi tui per sanctas inspirationes, aliosq; modos præstolatur; & dùm hoc sæpiùs facit, tu dissimulas; offert se tibi, tu refugis; ostendit, quàm pronus promptusq; sit ad remittenda tibi delicta, tàm innumera, tàmq; gravia, tu non vides; rogat deniq; potum lachrymarum, & nõ impertis? Non enim aliud appetit, cùm petit, *da mihi bibere;* quàm fontis oculorũ lymphas.

SEd jam ad extremam Domini mei sitim delabor. Pendebat is Crucis in trabe medius duorum latronum, totus quantusquantus vulneribus oppletus, cõfixis manibus ac pedibus, spineo diademate cruentatus, & præterea blasphemantium acerbissimis dicterijs proscissus. Territus interea sol tàm atroci spectaculo, tàmq; immani hominũ in suũ Conditorem scelere, oculis eorum se subducit, toti mundo nox incubat atra. gemit præterea tellus, reboat æther, scinduntur rupes, velum templi rumpitur, tota rerum natura commovetur. Solus IESVS in cruciatibus inexplicandis persistens immotus lentâ voce exclamat: *SITIO*. Hîc Magdalena Liberatori suo vehementissimè compatiẽs tacita lamentabatur: Ah! *Sitio*, clamas: desunt his rupib. vndæ. Sola fluunt oculis flumina, sola bibe. Non aliud sanctissima Genitrix, non reliquæ Matronæ huic tristissimæ Tragediæ præsentes, fecêre: lachrymas nimirùm suas dilecto Servatori sitis exstingvendæ causa offerebant. Miles duntaxat, rarò promptus ad pietatem, novo scelere sitim cœlestis Imperatoris irritabat. *Spongiã plenam aceto hyssopo circumferentes* (hanc relationem facit de Martis alumnis alumnus CHRISTI Ioannes) *obtulerunt ori eius*. Opinor, Dominum idem nunc fecisse, quod paulò antè cum eodem aceto felli permixto fecerat. Nempè, *cùm gustaßet, noluit bibere*. Noluit omninò bibere, qui longè aliâ siti torquebatur. Non enim liquorem aliquem expetebat, qui nec edisse, nec bibisse quadraginta diebus poterat. *Habuit aliam sitim* (piè conijcit devotissimus Blosius) *puta, ampliùs patiendi atq; evidentiùs suum nobis amorem demonstrandi*. Hîc ego aliquantùm hærebo, & inquiram ab ingeniosissimis naturæ scrutatoribus: quid agunt cervi venenatâ ictâ sagittâ, aut á serpente morsi? Solinus mihi pro cunctis vnus respondens ait: quòd *ad fontes aquarum festinant sitibundi, & in eas purissimas venenum evomunt*. A quis ergô & sitim cõceptã extingvũt, & hausto veneno levantur. Nũc ad IESVM, quem mihi sacræ literæ Cervum appellarunt. Ita enim sancta Sponsa, celeritate eius agilitateq; se oblectãs gloriatur can. 2. *Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloq; cervorum*. Hic igitur cœlestis Cervus gemino telo, amoris in mortales altero, altero peccati nostri virulento, magis quàm clavorum cuspidibus acuminatis saucius, vehementer se sitire testatur, cùm clamat affixus cruci: *SITIO*. Ah! quid sitis, Domine mi, quid sitis? *Sitis mea* (respõdet per D. Augustinum) *salus vestra est: sitis mea redẽptio vestra: sitio fidem vestram*, ô mortales! sitio conversionem vestram, ò peccatores! Ah! Animæ piæ, animæ quoq; impiæ: refrigerate sitim Redemptoris vestri dulcissimis lachrymis, potu huic siti accommodatissimo. Talem ad fontem Cervus hic, vestrorum peccatorum virulentissimis sagittis confixus vehementissimè anhelat. Convertimini ergô ad eum in ieiunio, & fletu, & planctu, & totum planè Oceanum proficuarum vobis illi optatissimarum lachrymarum antè cum profundite

dite. Date potum sitienti, date potum scaturientium ex contrito corde lympharum. Nàm, nisi id promptisimè & liberalissimè præstiteritis, æternam sitim timete. Venturum enim tempus est, quo sitiens hic Cervus in severissimum Iudicem conversus, ita suæ sitis ardentissimæ & propriæ salutis contemptores nefarios alloquetur vltimò damnandos.

Sitivi, & non dedistis mihi potum; discedite à me maledicti in ignem æternum.

O peccator! vt non ardeas æternùm, ardentem siti conversionis tuæ CHRISTVM iàm refocilla.

30

ORATORIS CRVCIFIXI

VERBVM VI

Consummatum est. *Jon. 9.*

Perfectissimam esse Pœnitentiam, quæ cum ipsa vita cõsumatur.

PRincipium humanarum actionum bono fine destitutum nunquam ducitur laudi, habetur semper ludibrio; & plerùmq; damno solet esse, non emolumento. Quæ gloria est, præclarè multa ordiri, malè terminare, aut imperfecta spontè relinquere? Non incœpisse, at finivisse laudabile est. Hinc vniversi fabricator, DEVS, postquàm opera aliarum quinq; dierum approbasset, non apposuit operi dici secundæ illam solẽnem censurã: *Vidit DEVS, quòd esset bonum.* Cœtera omnia bona sunt visa bono DEO, solum Firmamentum quasi imperfectum non commendatur. Qua de causa? *Quia, licet firmamentum* (vti respõdet

det Rupertus) *vna quidem, & pulchra species est: verumtamen iuxtà intentionem operantis, vnum quid, totum non est.* Itaq; vt reliqua Divinæ dexteræ opera, non comprobatur; quòd inchoatum solùm, & non consummatum in intentione DEI videretur. Resipiscentib' hîc doctrina datur: vt, cùm pœnitentiam agere incipiunt, in eadem perseverent, & quidem ad mortem. Sola namq; Pœnitētia illa perfectissima est, & sempiternæ gloriæ certissima, quæ cum vita pœnitentis cōsummatur. Latiùs hoc in campo exspatiabor.

APprimè servit proposito meo illud cœlestis Præceptoris documentum, quo nobis in pereleganti schemmate cœptæ pœnitentiæ continuationem commendavit. Disserens enim ea de re Luc. 14. *Quis*, ait, *ex vobis volens turrim ædificare, non priùs computat sumptus, qui necessarij sunt, si habet ad perficiendum; nè posteaquàm posuerit fundamentum, & nō potuerit perficere, incipiant illudere ei dicentes: Quia, hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Iam verò non illi tantum ædificare dicendi, qui domus ab ipsis fundamentis novas erigunt; sed hi etiam, qui veteres restaurant. Anima hominis, Domus DEI est. præsertim illius hominis, qui verâ Charitate flagrans in DEI mandatis implendis non frigescit. Hoc ipsum DEI Filius testatus est luculentissimè his verbis apud Ioannem 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit; & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Hîc quæri potest: quæ isthæc est tàm efficax dilectio, quæ ex animo hominis Domum DEI constituit? Magnus Pontifex & Doctor Gregorius huic quæstioni occurrens: *Verè DEVM diligimus*, inquit, *& mandata eius custodimus, si nos à noxijs voluptatibus coarctamus. Nàm qui adhuc per illicita desideria diffluit, profectò DEVM non amat: quia ei in sua voluntate contradicit.* Hinc sequitur: Animum delicijs & illecebris imbutum, peccatisq; depravatum, esse collapsam Domum DEI. Inficis mansionem CHRISTI eiusquè PATRIS Æterni; immò disijcis ac diruis: quoties, ô homo! nefario scelere te polluis, atq; graviùs delinquis. Vis deindè huius Tabernaculi Divini, huius Templi Spiritûs sancti ruinas reparare? facilè poteris per seriam & constantem pœnitentiam. Totam hanc rem, proposito Iudæ proditoris exemplo nobis ob oculos Hieronymus ita subijcit. *Infelix Iudas, quando Apostolus erat, Domus DEI erat: venit diabolus, & accepit buccellā, & statim intravit Sathanas in illum, & Domus eius subversa est, & nō est restaurata:* quare? *quia non egit pœnitentiam. Si quis verò post peccata agit pœnitentiam, istius Domus post captivitatem reædificatur.* Verū, vt perfecta sit & laudabilis, nō modò vtilis restauratio, persistendum in pœnitentia tā diù, quàm diù in vita: nè cui dicat illusoriè diabolus. *Cœpit ædificare*, cœpit restaurare labefactatam Domum internam suam: *& non potuit consummare.* Surrexerat è fætido vitiorum cœno, iterùm se eidem immersit: extirpare pravos habit' institerat, nūc sibi in ijsdem blanditur: ad

admoverat aratro manum, iam retrò spexit: deseruerat Babylonem, iam repetit: sumpserat cucullũ, abiecit: expulerat amicam, invitat: redit canis ad vomitum. Ah! pie resipiscens, nè tibi diabolus illudat, nè iterùm Cœlo conversione tuâ exultanti mœrorem iniicias; persiste in pœnitentia, persiste. quám diù spiritum trahis, ambula in spiritu: sic animi tui cura plagas, nè recrudescant.

PRæclarum rei præsentis habemus prothotypon Iosue 5. Ingressurus hic egregius Imperator terrã promissionis, debuit omnes illos, qui nati fuêre Hebræorum in deserto, circumcidisse. Ita voluit DEVS, ita mandavit. *Postquám autem circumcisi sunt*, (ait sacer codex) *manserunt in eodem castrorũ loco, donec sanarẽtur.* Hæc circumcisio fuit Iudæorum. quænã debet esse Christianorum? *Circumcidi*, inquit ordinarius sacræ paginæ interpres, *per IESVM, est, vitia & consuetudines pravas & pessima instituta deponere; & quidquid ab honestatis regula discrepat, abscindere.* Cum his enim onerosissimis sarcinis terram promissam nobis, quæ cœlestis Patria est, ingressurum se quis somniet? *Angusta quippè porta* (Matth. 7.) *& arcta via est, quæ ducit ad vitam.* Vitiorum verò ea natura, quòd toties resecta repullulẽt. Hydra est Lernæa vitium quodvis, & peccatum. sicut illi capita recisa iterùm erumpebant: ita vno sublato vitio peccatoue resurgunt alia, nisi penitùs eorum succꝰ omnis perpetuâ pœnitẽtiâ exhauriatur. Hercules nos hîc assiduos oportet esse. Arma pœnitentiæ nunquam nobis è manibꝰ di-

mit

tenda. Qui semel illa rapuerit in vitia & peccata pugnaturus, nè abiiciat vnquam: teneat, teneat perpetuò. Nõ *sufficit circumcidi, necesse est post circumcisionem sanari, & cicatricem in vulnere obduci. Debent pœnitentes manere in pœnitentia.* Ita ratio svadet, ita monet stephanus sanctissimus Abbas, ita salus obtinenda.

MAgna aliquando turba confluxit ad IESVM, & *offerebant ei parvulos, vt tangeret illos. Matt 10.* Quæ res, nescio quam ob causam, discipulis eiꝰ bilem movit adeò grandem, vt minis abigendos censerent eos, qui hanc parvulam turbam præceptori sancto sistebant. *Comminabantur offerentibus*, dicit Marcus. Lucas verò affirmat, quòd *increpabant illos.* Quod tamen indignè ferens pientissimus Dominus: *Sinite*, dicebat discipulis, *parvulos venire ad me: talium enim est Regnum DEI.* Quid audio? Domine mi, quid audio? Parvulusnè in Regnum cœlorum penetrabit? quo pacto? Vim patitur Regnum cœlorum: *violenti*, vt alibi dixeras, *rapiunt illud.* Parvulis autem quæ vires ad vim Cœlo inferendã? Nisi fortè lachrymis illud potiùs, quarum copia parvulis haud deest, quàm arietibꝰ sit expugnandum. Ita sanè. Meminimus, quid accidit Agar Ægyptiæ, cùm à Sara è domo Abrahami fuit pulsa, vnà cum infantulo Ismaele in desertum. Deficiente nimirùm annonâ, abiecerat filiolum sub arbore, nè videret morientem: *& sedens cõtrá levavit vocem suam, & flevit.* Postmodùm asserit sacer historicus, *exaudivit DEVS vocem pueri.* Vndè ego ve-

hemẽ-

hemēter admiror, divinum scriptorem, hîc sibi nō cō-
stare. Cur enim asserit, pueri vocem exauditam esse, cū non puerum sed matrem flevisse retulit? *Sedēs cōtra &c.* At involvit hîc pro more suo grande misterium. Agar illa pœnitentis animæ typus erat. Dolebat enim se propter suam protervitatem ex domo sui domini atq; mariti eiectam esse, & fame in eremo confici; cùm tot ancillæ in aula sua genialiter viverent, non modò commodissimè. Hinc gemitus, hinc lachrymæ illæ tàm efficaces, ac teneræ, vt infantiles viderentur. Itaq; meritò dicitur Agar flevisse, & puer exauditus esse, quoniam constans pœnitudo matrem in puerum transformaverat. Ex quo pulcherrimè & appositissimè S. Pater Ambrosius pœnitenti acclamat: *Tanta vis consummatæ emēdationis est, vt in quandam pueritiæ spiritualis redeat ætatem.* Ac propterea rectè monebat Discipulos cœlestis Magister: *Sinite, parvulos venire ad me: talium est enim Regnum DEI.* Vos quoq; (idem nobis dicebat) *nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum cœlorum.* Quomodò cōversi? per pœnitentiam. quomodò parvuli? per consummatam pœnitentiam.

IDem Dominus noster IESVS Christus antequàm spiritum suum æterno PATRI tradidisset, Regale illud Divinumq; verbū protulit: *CONSVMMATVM EST.* Per hoc autem volebat exprimere: se omnia perfectissimè implevisse, quæ ad humani generis redemptionem spectabant. Hoc sentit ex eruditissimæ Societatis Schola Cardinalis hunc locum ita penitùs elucidās: *Ex verbo illo: CONSVMMATVM EST, intelligimus Dominum consummaße opus passionis suæ ab initio vsq; ad finem, vt nihil desiderari poßet.* Tantâ porrò aviditate festinabat ad huius operis consummationem IESVS, tantâqué constantiâ: vt eum non cruciatus dirissimi, non mors atrocissima, non ipsæ hostium interpretationes sistere, aut morari minimè possent. Dicebant enim: *Si REX Israel est, descendat nunc de cruce, & credim⁹ ei.* Quod veluti audiens Bernardus: *Immò*, ait, *quia REX Israel est, titulum Regni non deserat.* Quamobrem? si credere volunt, vbi descenderit, cêu Messiæ? Descende, IESV, de cruce, descende: credent Iudæi, salvabuntur; secùs obstinati peribunt in perfidia. Inhibet eum Bernardus, idquè propterea; nè & nos de cruce pœnitentiæ, nisi rectâ cœlum sit ascendendum, descendamus. *Non dabit,* (inquit hic mellifluus Doctor) *occasionem surripiendæ nobis perseverantiæ, quæ sola coronatur.* Perseverantiæ in pœnitentia, gemitu, lachrymis, austeritatibus, ieiunijs, eleemosynis, varijs mortificationib⁹, in cruce deniq; perpetuò ferenda. Nàm cōsummatissima pœnitentia est, quę cū ipsa vita consummatur. Sic eluebat sua peccata Rex pœnitens: *Laboravi* (canit ipse ps. 6.) *in gemitu meo: lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratū meum rigabo.* Sic Maria peccatrix Ægypti quadraginta sex annis feras inter emūdabat, quidquid sordium paucis homines inter contraxerat. Sic Augustinus ex Manichæo

nichæo Catholicisſimus, ex mundano mundisſimus & planè cœleſtis, quos pœnitentiales dicimus, pſalmos etiam diſceſſurus ex hac mortalitate ad beatam immortalitatem piè recitare non neglexit. Sic plurimi alij non priùs glorioſisſimis rigidisſimæ pœnitentiæ exercitijs, quàm vitæ finem fecerunt. Quis tot exempla Divorum recenſeat, qui ſuos in artus pœnitentiæ causâ dirisſimè ſævierunt? Vnius Dominici Loricati piam ac ſalutarem in ſe crudelitatem, qui vnâ quadrageſima tres millio-nes ictuum ſibi narratur inflixiſſe, quis non obſtupeſcat? Inſtitit huius Loricati veſtigijs (quẽadmodùm recẽs au thor aſſerit) egregius DEI Sevus P. Gaſpar Druzbicki, Polonus, in S. I. non minùs vitæ ſanctimoniâ quàm doctrinâ, honoribusquè, illuſtris: cũ interdùm, præſertim vitam agendo privatam, diverſis diei & noctis tempori bus ad quindecim millia percusſionum cum raſuris fer reorum pectinum, & hemiſphæræ aculeatæ puncturis, pervenerit. Novi & ego virum, primum in Scholis Pijs Polonum, patriâ Poſnanienſem: cuius ab obitu repertus eſt paries cubiculi ſanguine reſperſus: tàm feriò ſuũ in corpus extra ordinem animadvertebat. Idẽ experge fact⁹ ĩtegrũ Roſariũ pãſis brachijs devotisſimè ſolebat percurrere: ſacras literas non niſi genu flexo voluebat: nũquã mihi riſiſſe viſus, oraſſe perpetuò; recollectisſim⁹ & obedientisſimus. Et tamen hic talis pænitentiæ amator conſtantisſimus ad meliorem vitam tranſiturus tremebat ob abyſſum judiciorum DEI. Quis alia talia fando

do enumeret? Benè cecinit Vates aliquis: *Priſcorũ verbera confer; eſſe meros dices, ſeria noſtra, iocos*. Confer tuã, mî Chriſtiane, pœnitentiam cum pœnitentia Ioannis, Pauli, Antonij, Onuphrij, tot aliorum Eremicolarum: cũ pænitentia Benedicti, Franciſci, Dominici, Bernardi, & tot aliorum noſtrorum Ducum: cum pœnitẽtia Theresiæ Abulenſis, Catharinæ Senenſis, Roſæ Limanæ, Kunegundis Polonæ, Magdalenæ Italæ, & tot aliarũ Chriſti Sponſarum: *Eſſe meros dices, ſeria noſtra, iocos*. Quid ſi tibi viva pænitentiæ exempla, quæ hærẽt in oculis, mõſtravero; numquid adhuc pœnitentiã exhorreſces? Conjice oculos in genuinam Rövaldi Sobolem: videbis hiſpidam veſtitu, iejunijs exhauſtam, ſilentio mortificatã, totâ vitâ Angelis parem. Carthuſianos adibis? reperies vigilijs extenuatos, clauſos in cellis, ſe ipſos refugientes, ſoli cœlo intentos. Non deſunt alij plurimi, qui Evangelicam regulam ſecuti, ſummam paupertatem amplexi, externo quoq; rigore in animarum bonum adhibito, ſine pera & baculo, ſine calceis & mollibus indumentis, verbo ſimul & exẽplo Chriſtum prædicãtes veros Apoſtolos orbi exhibẽt vniuerſo. Quanquam & illorũ opera ſanctisſima, qui libris ad vtilitatem Eccleſiæ conſcribendis, juventuti honeſtisſimis literis ac moribus imbuendæ, verbo DEI ſeminando, ſacramentis adminiſtrandis, confirmandis in pietate Catholicis, hæreticis cõvertendis, infidelibus ad ovile DEI aggregandis, ſe totos conſtantisſimè devoverunt; quis, inquam, præclarisſima

ma eorum opera in censum pœnitentiæ non referat? Atq; hæc sunt, quæ te, mi homo, peccãtem graviter & leviter pœnitentem, ad non seram, & seriam & cõtinuam pœnitentiam excitare meritò possunt. Quibꝰ, si placet, addo illud saluberrimũ Ecclesiastici monitum: *DE PROPITIATO PECCATO NOLI ESSE SINE METV.* Poteris esse, vbi pœnitentiam egeris assiduam. Ergô perseveremꝰ in pœnitẽtia, perseveremꝰ: vt & prœterita eluamus delicta, & futuris aditum præcludamus. Quid vnius mensis, anni, aut lustri, pœnitẽtiâ gloriamur? post eaquàm totius vitæ decursu solida pœnitentiæ opera exercuerimus, tunc saltem poterimus non vanissimé cœlum sperare atq; expectare.

ORA

ORATORIS CRVCIFIXI

VERBVM VII.

PATER, in manus tuas commendo spiritum meum. *Luc. 24.*

Spiritum nostrum à nobis frequentissimè Christo Domino commendandum esse, nisi labi, ac relabi, frequentissimè velimus.

Animadvertimus sœpissimè, decedentes ex hac mortalitate homines ea suis cõmendare, quæ carissima habuerunt. Sic olim Turnus Rutulorum Rex, fortissimus aliàs heros, ab Ænea Troiano singulari certamine prostratus, *humilis, supplexq;* (vt est apud Pòëtarum principem) *oculos, dextramq; precantem protendens*, victorem orabat: *miseri te si qua Parentis*

Tangere cura potest, oro: fuit & tibi talis

Anchises genitor, Dauni miserere senectæ.

Ac

At Redemptor noster sanctam animam in cruce exspiraturus, neminem hominum, aut Angelorum, sed PATREM cœlestem alloquens, ei suum spiritum commendat: *PATER, in manus tuas cōmendo spiritum meum.* Quod D. Athanasius cōtéplatus. *Cùm,* ait, *in cruce CHRISTVS dicit: PATER, in manus tuas depono spiritum meum: in eo omnes homines apud Patrem deponit, ac commendat, per ipsum & in ipso vivificandos. Membra enim sumus, & membra ista multa vnum corpus sunt, quod ipsum Ecclesia est. Omnes ergò in se DEO commendat.* Adstipulatur Cyrillus Athanasio inquiens: *Tradidit animam suam manibus genitoris æternus Filius; vt ab illa, & per illam facto initio, certam huius rei spem habeamus, firmiter credentes, in manibus DEI nos post mortē futuros. Nàm hoc nobis effecit Dominus* (quod addit Euthymius) *nè deinceps justorum animæ descenderent in infernum, sed magis ad DEVM ascenderent.* Igitur neq; nos deesse nobis debemus; at dùm à IESV Christo Æterno PATRI commendamur, ipsi pariter nosmetipsos eiusdē Patris æterno Filio commendemus, vt in eius manibus securi lapsûs ac relapsûs deinceps vivamus. Quod, quâ ratione fieri debeat ac possit, paucis docebo.

TRiplex est spiritus noster: (vt sentit Dydimus in catena citatus hîc á Cornelio) *cogitatio nēpè nostra, anima, & conscientia. quæ tria DEO commendare debemus.* Ac primò de Cogitatione agendū est. Quæ cū, teste DIVINO spiritu, cuncta sit intenta ad malum, facillimè per eam homo à versutissimo Orci genio supplantatur. Habemus istius rei deplorandum in Isacidis documentum. Quod exprimens DIVINus Historiographus Nū. 15. *Fornicatus est,* inquit, *Israel cum filiabus Moab.* Quomodò fornicatus? Vidit, appetijt, cogitavit, consensit, fecit. Hoc explicatiùs proponens Richardus: *Ornaverunt,* inquit, *Madianitæ filias suas, ornatasq; in conspectum filiorum Israel posuerunt, vt in concupiscentiam illorum traherētur, & sic iram DEI incurrerent.* Incurrerunt. At solinè Israelitæ laqueis talibus implicati? non. *Quod semel historialiter* (subijcit memoratus Pater) *contigisse cognoscitur, hoc verus quilibet Israelita,* nempè Christianus, *frequenter invisibiliter experitur. Quādo scilicet quasdam rerum concupiscibilium imagines inimici oculis mentis obijciunt: in quarum consideratione si se mēs delectationi turpiter subjecerit, procul dubio protectoris sui offensam incurrat.* Omninò peritissimus & diligentissimus est Apelles cacodæmon: nunquam non adstat cum tincto varijs colorum formis penicillo ad nostrarum cogitationum telam; vt, si malè custoditam reperiat, effingat in ea, quas lubet species: aut Dianas venatrices, aut avaras ac superbas Iunones, aut Veneres libidinosas. Conatur enim mētem nostram à DEO ad mundū, & eius vanitates, atq; curiositates abstrahere: conatur ambitionis fœdæq; complacentiæ fuco illinire: conatur accendere foco luxuriæ per impressionem turpium phantasmatum. Scit namq; sufficere ad labem lethalis culpæ contrahendam vnam cogitationem morosam: hac verò pollutum animum pœnis

æternis addicendum. Sin itaq; minùs poteſt ad actum mortiferum hominem ĩpellere, ſaltem ei cogitationes peſſimas ſuggerit, vt his technis ac laqueis irretitum ſecum in æternum præcipitium trahat. Qvod circà ſe fieri animadvertens Rex pſaltes ingemiſcebat pſ. 17 *Dolores jnferni circùmdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis.* Cogitationes otioſæ, curioſæ, vanæ, malæ, viſæ ſunt Davidi fuiſſe dolores inferni: quoniam hominem ijs ſeſe oblectantem ad ſtygios cruciatus devolvunt. Vocãtur ab eodem laquei mortis: nam qui illis implicatur non facilè grave peccatum, quod infert animæ mortẽ, evitat. Quâ verò ratione ab his laqueis expediebat ſe Regum circũmſpectisſimus, clarè docuit pſ. 24 his verbis. *Oculi mei ſemper ad Dominum: quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos.* Mens nempè ad DEVM continuò elevata non patet ſuggeſtionib' inimici. Seruit huic rei, quod ſanctisſimus preſbyter, & Fundator Congreg. Oratorij IESV, Philippus Nerius, de ſe ipſo referebat. Factitare nimirũm ſe quotidie vnam proteſtationẽ dicebat: quòd eſſet Chriſto Domino latiorem plagam facturus in latere, niſi eius manibus ligatis capiti ſuas impoſuiſſet. Sedes cogitationum caput eſt. Expetebat ergô hoc Philippus CHRISTI manibus asſiduò teneri, nè Satelles Orci phantaſiam eius fædis imaginationibus turbaret, atq; animum pernicioſis cogitationibus intoxicaret. Nec alio modo, miſer & labilis peccator, animum tuum à periculoſo lapſu ĩmunem ſervare potes, niſi perpetuò DEI

Filium rogando & obteſtando interpelles cum pſalte: *In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum.* Tibi cogitationes meas conſecratas volo; nec vllas alias habere atq; admittere volo, niſi à te, de te, propter te. O IESV! Tibi commendo ſpiritum meum.

A Cogitatione ad ipſam Animam progrediamur. Tàm diligenter huic & aſtutè ſtruit inſidias latro infernalis, vt ad eas cavẽdas asſiduò ac ſolerter evitãdas Petrus Eccleſiæ Princeps & Pater ſeriò nos cẽſuerit eſſe admonendos. *Fratres,* (1 Pet. 5.) *ſobrij eſtote, & vigilate: quia adverſarius veſter diabolus, tanquàm leo rugiens, circuit quærens, quem devoret.* Nõ potuit periculũ noſtrum nobis apertiùs proponere ſpectandum, quàm dœmoni rabiem leoninam rugitumq; attribuendo, nosquè ei prædam futuram, nî vigilaverim' & ſobrij & cauti. Rugitu leo prædam, quam capere vult, ſiſtit; ſic dœmon animam. Degimus infelices paradiſi exules hoc in mundo velut in ſolitudine vaſtisſima, repleta belluis infernalibus, quæ nos ambiunt ſemper, circùmeuntq; hiãtibus faucibus, vt abſumant. Nec eſt mirum: eſca nàmq; ſtygiarum ferarum non alia eſt, quám animæ humanæ, ex quo eas primævâ labe pollutas ſibi conſignarunt. Meminiſſe quilibet poteſt; quod ferculum, quem paſtũ, ſerpenti illi antiquo, qui primos Parẽtes noſtros illaqueaverat, omnium rerum Parens DEVS aſſignavit. *Terrã comedes* (dicebat Gen. 3.) *cunctis diebus vitæ tuæ.* Quam terram? Reſpondet vtiq; ſapientisſimè, Phœbus & Be-

nedictinæ Familiæ, & Ecclesiæ totius, S. P. Gregorius, cùm psalmum 4. commentatur. *Antiquus hostis terram comedit, quia peccatores quosq; in ventrem suæ malitiæ abscōdit. Devorat terram* (quod subdit Rabanus) *cùm errore peccantium pascitur, ac delectatur, eosq; ducens ad interitum rapit. Sicut enim Sancti sæpè cœlorum, ita nomine terræ hi, qui terrena sapiunt, indicantur.* Verùm huc & altera species eiusdem serpentis mulcta. Cùm enim antea sursùm erectus, vt quorundā fert opinio, incesserit, vt postmodùm super pectus graderetur, damnatus est. *Super pect⁹ tuum gradieris.* sic eum DEVS fulminavit. Quod quâ ratione faciat, disertè expresit eruditissimus Caietanus hoc sensu. *Venter officina est cibi digerendi: & ita super vētrem ire, est proprium ventrem eundo opprimere. Officium ergò diaboli est* (infert iam appositissimè dict⁹ interpres) *cibum suum, id est animas peccantium opprimere. Acsi aperti⁹ dictum fuißet: Non solùm maledictus eris tu; sed etiam maledicti erunt tui, opprimentur siquidem à te.* En escam serpētis antiqui diaboli, Animas peccatorum. Heu! fuge, fuge, ô homo! fuge peccator, ad Servatorem tuum: & validissimam eius manum adversùs hunc assiduum insidiatorem Animæ tuæ implorās, trade eam, fidenterq; cōmitte protectioni, regimini, custodiæ ipsius, iterùm atq; iterùm ingeminando: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.* Adhæreat anima mea post te, me suscipiat dextera tua. Eripiatur anima mea sicut passer operâ tuâ de laqueo venantium.

Ani-

ANimæ adnectitur Consciētia. Quæ quàmdiū gravis alicuius sceleris macula non cospurcatur; læta, hilaris, tranquilla, iuge convivium est. vbi verò illud admittitur, subitò nascitur ex ei⁹ putredine vermis, qui peccatoris viscera perpetuò rodit, torqvet, cruciat, adeò, vt vivus infernum suum secum portare videatur. Fabula est, quod Poëtæ finxerunt de Tytio; cuius iecur assiduò vorari à vulture, nūquam devorari, quód renascatur denuò, tradiderunt. At Vultur peccatorum viscera lanians, & verus & sempiternus est. An id nō satis perspicuè Isaias expresit his verbis? c. 66. *Vermis eorum non morietur.* Sed & campos Elysios intremus, vt hoc ipsum meliùs adhuc percipiamus. Hîc enim vt peccatum, ita vermis conscientiæ primò natus est. Nā homo creatus à DEO in statu perfectissimæ innocentiæ factus erat Rex Paradisi. Cùm Paradisum nomino, locum nomino rebus omnibus refertissimum, quæ vel cogitari, vel appeti honestissimè possunt. Quid dicam ampliùs? locus erat, Historiâ sacrâ testante, *Voluptatis.* Vtinā nunquam amissus. Sed, quàm citò! Vix se peccati lue cōtaminavit Adam, ex illo deliciarum Floreto protin⁹ expulsus est. *Eiecit eum Dominus DEVS de Paradiso voluptatis.* Habuit, habuit Anima Parentis omniū nostrûm suavissimum & amœnissimum Paradisum, quòvsq; nullius criminis fuit sibi conscia: perpetrato scelere gustati ex vetita Arbore mali, amisit Paradisum: quia Conscientiæ tranquillitatem, serenitatem, lætitiam amisit. Hîc

in-

ingeniosissimus Theodoretus, pôstquàm expendisset, authoribus nostri generis libato pomo oculos fuisse apertos, ita vt se detectos conspicerent, subiecit non ineptè quòd *sensum ac stimulũ conscientiæ habuêre, qui eos remorderet.* Deniq; facundissimꝰ Præsulum Chrysostomꝰ afferens rationem, ob quã se, auditâ voce Domini DEI deambulãtis post meridiem in paradiso, Adamꝰ & Eua iam lapsi abscondissent, ita differit. *Voluit DEVS, vt in magno mẽtis angore cõstituerẽtur, quod & factum est Nàm postquàm ita senserunt, quasi adesset iam DEVS, occultari cœperunt. Conscientia quippè adversus hominem insurgere solet & clarâ voce clamat, & accusat, & ostẽdit, & quasi ante oculos scribit peccatorũ magnitudinem. Et licet quis admisso peccato omnes homines celet, ab ipsa tamen accusatrice non poterit delitescere. Nàm vbicunq; fuerimus, eam circùmferimus: ipsa nos circumit laniat, flagellat, domi, & in foro, & in templis, & in mensa; dormientem & surgentem adoritur; ob oculos proponit, & delictorum gravitatem, & subsecuturam pœnam. Et propterea Protoplastus, vt illum sensum accepit, adventum Domini secum cogitans statim se occultavit: quoniã videbat sibi trucem adstare accusatorem; Conscientiam dico.* Si tantùm trux accusator dicenda sit Conscientia, & nõ simul carnifex crudelissimus. quandoquidem & accusãdo torquet, & torquendo accusat, & inter accusationes ac tormenta quandoq; spem veniæ abripit. Expertꝰ hoc in se Caimus ille primꝰ fratricida. Nàm occiso Abel germano suo: *Maior est* (exclamavit ad DEVM) *iniquitas mea*

mea

mea, quàm vt veniã merear. Ecce eijcis me hodie à facie terræ, & a facie tua abscondar: & ero vagus ac profugus in terra. Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me. Vide, eum nihil aliud vereri, cùm se metuit occidendũ, quàm, nè pœnâ talionis mulctetur, suã pro erepta fratri vita perdat. Cùm se vagum ac profugum in terra fore pronũciat, an non disertè fatetur, sibi per scelꝰ ita animi tranquillitatẽ ademptã esse, vt præ tumultu cordis in vno loco neque at subsistere? Cùm se à facie DEI dicit esse abscondendum, ipsã *pœnam damni* se fraterni profusione sangvinis promeruisse clarè testatur. Et quia graviorẽ suam iniquitatem, quàm vt veniâ donari possit affirmat; iam planè desperatione corripitur, iam de salutẽ animæ suæ cõclamatum esse clamat. O tortorem immanissimum cõscientiæ vermem! ô peccatum sexcenties detestandũ, atq; veneno diligentiùs cavendum, quod nobis tàm atrocem parit accusatorem, & simul carnificem sævissimum! Optimè admonet Lipomanus: *Hoc ergo expavescamus semper: cavendo, nè vnquam tale flagitiũ designemꝰ, vndè perpetuo remorsum conscientiæ ferre cogamur.* Sed quo pacto id præstabimꝰ, si DEVS Conscientiam nostram dexterâ suâ nõ sustentabit, lumine suo nõ diriget, nè turpiùs erret, nè graviùs prolabatur? Huic igitur sine respirio supplicandum est, vt nostri Spiritûs assiduam gerere curam non desistat: hic perpetuò more vatis Regis interpellandus: *In manus tuas, Domine, commendo spiritũ meum.* Et en Servator noster animam sacratissimam in du-

du-

durisſimo crucis lecto exhalãs exemplo nos incitat ſuo; vt, qualiter ipſe tùm æterno PATRI ſuum commendabat, ita nos asſiduò noſtrum ipſi Spiritum cõmendem⁹. Cogitationes, inquam noſtras, Animas noſtras, Cõſciẽtias noſtras. Nõ ſufficiat nobis reſipuiſſe, cognito morbo vitiorum, quibus depresſi gemebamus; ſeriâq; pœnitentiâ cõmiſſa delicta eluiſſe, & mores nõ bonos benè iàm emendaſſe: addenda eſt fuga aliorum; addenda cura diligens recidivæ, vt loquũtur medici, evitandæ; nè ad vomitum deteſtabili vitio canũ redeam⁹, nè dœmonis iterùm laqueis, quib⁹ Divinâ grtiâ ſum⁹ explicati, irretiamur. At quis, oro, hoc propriâ virtute valeat? quis vel ſummâ induſtriâ, nõ adiut⁹ à Chriſto, nõ roboratus ab eo, quo ſine penit⁹ nihil poſſumus, nihil? Ergô ſuſpirandum identidem nobis eſt ad Opitulatorem noſtrum IESVM, atq; cum ſummo fervore, quod Eccleſia præſcribit, ſemper ingeminandum. *In manus tuas, Domine, cõmendo ſpiritum meum. Redemiſti nos, Domine, DEVS veritatis;* ergô *in manus tuas commendo ſpiritum meum*, quâvis horâ, quovis in loco, qvolibet momento, ac præcipuè ex corpore diſcedentem. *Cuſtodi me, vt pupillam oculi; ſub vmbra alarum tuarum protege me.* AMEN.